

Thomas gallo  
RHETORICA  
CYPRIANI SOARII  
SOCIETATIS JESU.

EXEMPLIS ILLUSTRATA,

LIBER III.

*Sac poësis*  
DE ELOCUTIONE.

**E**Locutio pars Eloquentiae potissima, à qua video licet nomen accepit, est idoneorum verborum ac Sententiarum ad res inventas & dispositas Accommodatio: Eloqui autem est omnia, quæ mente conceperis, promere, atque ad audientes proferte.

Ut ELOCUTIO sit oratoria, debet esse primò Latina sine vocibus barbaris, dein numerosa & suavis, quod potissimum à Periodis, & certis pedum combinationibus habetur, de quibus cap. I. Denique Ornata: ornatum vero affertunt tropi, & tam verborum quam sententiarum figuræ: de his Cap. 2. 3. 4. agetur. Quintum continebit: prolusiones oratorias, seu Progymnasmata, in quibus Eloquentiam suam Tyro exercere disset.

A 70 CA-

# CAPUT II.

## DE PERIODIS.

**Q**UÆSTIO I. Quid est Periodus?

**R.** Periodus, quam Cicero circuitum & comprehensionem appellat, est, cum ab initio, ad finem usque, quasi in orbem inclusa fertur oratio, donec consistat in singulis perfectisque sententiis. Sive est oratio brevis & numerosa sensum habens oratione perfectum & completum.

Cicero pro lege Man. *Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus, hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus, Quirites!* (hic sensus nondum completus) tamen hoc aditu laudis, qui semper optimo cuique maxime patuit (adhuc pergit in orbem ferri oratio) non mea mea voluntas, sed mea viterationes ab ineunte etate susceptae prohibuerunt.

**Q**UÆSTIO II. Quas partes habet Periodus?  
**R.** Habet majores & minores. Pars major dicitur membrum: minor incisum. **M E M B R U M** est sensus numeris conclusus, sed à toto corpore abruptus & per se nihil efficiens. Ut in priore exemplo, *quanquam mihi semper frequens conspectus vester multo jucundissimus, hic autem locus ad agendum Amplissimus, ad dicendum Ornatissimus est visus, Quirites!* Habes hic sensum numeris conclusum, ita tamen suspensum, ut ab alio sequente excipi debeat. **INCISUM** est sensus brevior

## R H E T O R I C A E.

non expleto numero conclusus. Sapissime Pars membra est, justâ magnitudine catens, ia quo scilicet aut verbum, aut mensura hexametro versu ferè par desideratur.

Post redditum ad Quir. Quæ species Italia? quæ celebritas oppidorum? quæ formar regionum? qui agris? quæ fruges? quæ pulchritudo urbis? quæ humanitas civium? quæ recip. dignitas? quæ vestra majestas? In Catil. Tenentur literæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio.

In Pison. O Scelus! O Pestis! O Labes!

QUÆSTIO III. Quid est Periodicè, quid membratim, aut incisim dicere?

R. 1. Periodicè dicit, qui frequentibus uticet Periodis; ut Cicero in Exordio pro lege Manil. & alibi passim.

R. 2. Membratim dicimus, cùm in singulis membris insistit oratio.

Pro Rosc. Amet. Ipse (Chrylogonus) amplissima pecunia fit Dominus)... Multa palam domum suam auferebat; plura clām de medio removebat & non paucas suis adjutoribus largè effusèque donabat & reliqua constitutā auctione vendebat, &c.

R. Incisim dicere, est, incisa nullo inter se nexus conjuncta in oratione frequentare, ut suprà. Quæ species Italia? quæ celebritas oppidorum? &c.

Pro Archia. Hæc studia Adolescentiam alunt & senectutem oblectant; secundas res ornant; delectant domi; non impediunt foris, pernoctant nobiscum; peregrinantur, rusticantur.

## LIBERTATI.

Periodis orator utitur sere in exordiis, & eum laudat, delectat, aut res graviores describit, Membris potissimum cum narrat, incisis, quando contendit, refellit, invehitur.

QUÆSTIO IV. Quotuplex est Periodus.  
Prout unum plurave complectitur membra, dicitur Unimembris, Bimembris, Trimembris, Quadrimebris, &c. vide exempla Tullii.

## UNIMEMBRIS.

Pro M. Marc. Tantam enim mansuetudinem, eam in usitatam inauditamq; clementiam, tantum in summa potestate rerum opium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac pene divinam tacitus nullo modo preterire possum.

In Catil. Remp. Quirites, vitamq; omnium vestrum, bona, fortunas, conjuges liberosque vestros, atque hoc domicilium Clarissimi imperii, fortunatissimam pulcherrimamque urbem hodiernam die, Deorum immortalium summo erga vos amore, consiliis periculisq; meis ex flamma atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam eis vobis conservatam a restitutam videtis.

## BIMEMBRIS.

Pro domo. Cum multa divinitus, Pontifices! a majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eisdem eis religionibus Deorum immortalium et summae Reip. præesse voluerunt.

## POETICÆ. I

I. de Orat. *Qui locus quietis & tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maxime molestiarum & turbulentissimæ tempestates extiterunt.*

## TRIMEMBRIS.

Pro Quint. *Si veritate Amicitia, fide Societas, pietate propinquitas colitur, necesse est, iste, qui amicum, locum, affinem famam & fortunis stoliare conatus est, vanum se & perfidiosum & impium esse fateatur.*

Post Red. *Etsi homini nihil est magis optandum quam prospera, aquabilis perpetuâq; fortuna, secundo vita sine ulla offensione cursu, tamen si mihi tranquilla & pacata omnia fuissent, incredibili quadam & penè divinâ Lætitiæ voluptate caruisset.*

## QUADRIMEMBRIS.

Pro L. Muræn. *Quæ precatus sum à diis immortalibus, judices, more institutóque majorum illo die, quo auspicato comitiis Centuriatis L. Murenam Consulem renunciavi: ut eares mihi Magistratuiq; meo, populo, plebiq; Rom. bene atque feliciter eveniret eadem precor ab iisdem diis immortalibus, ob ejusdem hominis consulatum unâ cum salute obtinendum.*

Pro Cæcin. *Si quantum in agris locisq; desertis audacia potest, tantum in foro atque in judiciis impudentia valeret; non minus in causa cederet A. Cætinna Sexti Ebutii impudentia, quam tum in vi facienda cessit audacia.*

QUÆSTIO V. In quo potissimum venustas Periodi consistit?

¶. I. In numero. Numerus seu numerosa Ora-

tie in suavi quadam syllabarum tum brevium tum longatum mixtura concentuque consistit, qui aures demulceat, atque in animum influat. Unde etiam auditu potius, quam præceptis discitur. Removenda tamen à periodo est 1. omnis consonantium asperitas; ut, *Xerxis exercitus*: 2, earundem syllabarum repetitio, ut: *invise visæ mihi literæ*, &c. 3. Aspera vocalium collisio: Ut: *ex aperta arca accepit*. 4. Plutum monosyllaborum coniunctio; v. g. *Ne hoc sic facias*.

## EXEMPLUM NUMEROSÆ ORATIONIS.

Cicero in Antonium. *Temiror, Antoni! quorum facta imitare, eorum exitus non perhorrescere:* Peribit numerus & numerosa oratio, si hunc in modum efferas; *Antoni! te miror non perhorrescere exitus eorum, quorum imitare facta.*

Itaque neque numerosa esse, ut poëma, neque extra numerum, ut sermo vulgi, debet oratio, ait Tullius in oratore ad Brutum: Ubi cùm hanc suam sententiam laudâisset; *Patris dictum sapiens temeritas filii comprobavit, subjicit: ordinem immuta, Patris dictum sapiens comprobavit filii temeritas, jam nihil erit.*

3. 2. In Clausulis, id est, in certis pedibus metris Periodum claudentibus.

Eiusmodi pedes sunt Dichoreus, ut; *comprobantur. Creticus cum Dichoreo, gloriam conculisti. Duo Dichorei, per triennium dederunt. Dochimus, perhorrescere. aliiq;*

RHE TORICÆ.  
CLAUSULÆ TULLIANÆ.

Reipublica præesse voluerunt.

Nullo modo præterire possum.

Magnitudini beneficiorum id tribuendum puto.

Familiam penè ab ineritu vindicasti.

Quasi signum aliquod sustulisti.

Timendum fuisse senserunt.

Prater te, mederi nemo potest.

Intolerabiles haberis solent.

Summo reipublica tempore videtur.

De tuis laudibus conticescet.

Eorum exitus non perhorrescere.

Restitutam puto, &c.

His similibusq; clausulis si aures assuefiant, difficile non erit, periodos cum venustate absolvere. Cavendum tamen imprimis, ne sententiae frequenter eodem modo iisdem ve pedibus claudantur.

QUÆSTIO VI. Quibus particulis membra Periodi aptè connectantur?

R. Sequentibus. Talis, qualis. Adeò, ut. Ed major, quò. Tantum, quantum. Non minùs, quam. Quod, id. Non ut, sed ut. Cùm, tùm. Quantum, tamen. Non solum, sed etiam. Ità, ut. Quemadmodum, sic. &c.

EXEMPLA CICERONIS.

Pro Cæcinna. Si quantum, in agris locisque defertis audacia potest, tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret; non minùs in causa cederet Cæcinna Ebutii impudentie, quam in vi facienda esset audacia.

## L I B E R III.

In Verrem. Quod erat optandum maxime, judices! id non humano consilio, sed propè divinitus datum atque oblatum vobis summo reip. tempore uidetur.

Huius ego cause accessi, non ut invidiam augerem ordinis, sed ut infamia communi succurrerem.

Pro domo. Cùm multa divinitus Pontifices! à majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quòd vos eosdem & religiōbus Deorum immortalium, & summa reip. præesse voluerunt.

Pro lege Manil. Quanquam mihi semper frequens conspectus vester multò jucundissimus, &c. tamen, &c. ut supra.

QUÆSTIO VII. Fierine potest ex eâdem periodo Unimembri, servatis ferè iisdem verbis, Periodus Bimembri, Trimembri, Quadrimentri? Q. Potest: Vide Schema, & imitare.

## U N I M E M B R I S.

Nihil in rebus prosperis, nihil in adversis amici benevolentia est utilius.

## B I M E M B R I S.

Cùm nihil in rebus prosperis adversisque, amici benevolentia sit utilius, quis illam rebus omnibus humanis facilè anteponendam non arbitretur?

## T R I M E M B R I S.

Cùm ea sit veri sinceriique amici natura & indoles, ut res secundas lætiores, adversas leviores faciat; quis tot inter ac tantas hujus vitæ varietates, sine amici benevolentia, vivere se posse arbitretur?

Q U A-

## QUADRIMEMBRI.

Cum ea sit veri sinceriique amici natura & indoles, ut res secundas lætiores, adversas leviores faciat; eritne aliquis tam parum amicus sui, tam parum cupidus tranquillitatis ac pacis, ut tot inter actantas hujus vitæ varietates sine amici benevolentia, vivere se posse arbitretur? Vide Lejay.

QUÆSTIO VIII. Quibus modis amplificatur Periodus? &c. Variis modis, inter quos faciliores sunt sequentes:

I. Per Synonyma & Epitheta illustria.

Cicero post reditum. *Quæ tanta potest existere libertas ingenii: quæ tanta dicendi copia, quod tam divinum atque incredibile genus orationis, quo quisquam possit vestram nos universa promerita non dicam complecti orando, sed percensere numerando?*

Pro Marcello. Domuisti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes.

II. Per varias ejusdem rei descriptiones seu definitiones.

Cicero pro Milone. *Vidimus templum Sanctitatis, caput urbis, aram Sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo concessam uni ordini, inflammari, excindi, funestari. Id est, vidimus curiam incendi.*

III. Per auxesini & verba magis magisque significantia.

Cicero in Verrem. *Non enim furem, sed raporem, non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae, non sacrilegum, sed hostem Sacrorum religionumque,*

## P

## LIBER ID.

non sicarium, sed crudelem carnificem civium sociorumq;, in vestrum judicium adduximus.

## IV. Per partium enumerationem.

Cicero in Catilinam. *Quid mali aut sceleris fingi aut excogitari potest, quod ille non conceperit? quis totâ Italia veneficus, quis Latro, quis Sicarius, quis parricida, quis ganeo, quis Nepos, quis Sicarius, quis corruptor juventutis, quis corruptus, quis perditus, qui se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur?*

V. Per adjuncta & circumstantias rei, quæ sequenti versu continentur: *Quis? Quid? Ubi? quibus auxiliis? Cur? Quomodo? Quando? De quibus plura L. i. ubi de amplificatione, quæ sit per locos Rhetoricos.*

## QUÆSTIO IX. Quibus particulis Periodus cum periodo connectitur?

Bz. Sequentibus. *Ac primò quidem: deinde. Enimvero. Neque vero. Nam. Etenim. Itaque. Quod si. Quin etiam. Adde, quod. Accedit. Et illud. Quid? quid est. Atque ego quidem. Quoniam vero. Et similes: quas potissimum in exordiis à Cicerone usurpatas reperies.*

## QUÆSTIO X. Quomodo Ciceronis periodos imitabimur?

Bz. *Etsi studio & conatu facilius, quam præceptis id addisces, juverit tamen nobiliores quasdam Ciceronis periodos memoriam tenere, easque saepius apud te repetere, ut oratorio numero paulatim assuescas & facilitatem aliquam imitandi acquiras.*

Deinde

## RHETORICÆ.

11

Deinde numerum ac dispositionem periodi Ciceronianæ serva, eamq; alii materiae aut sententiae applica. Vide exempla ad imitationem Ciceronis exacta.

## PERIODUS CICERONIANA.

*Si quantum in agris lolisque desertis audacia potest,  
tantum in foro atque in iudiciis impudentia valeret  
Ec. ut supra.*

## IMITATIO.

Si quantam in expugnandis hostibus fortitudinem Alexander Magnus præse tulit; tantam in privatæ vitæ consuetudine moderationem animi exhibuisset; non minus principibus viris ad exemplum proponeretur ejus moderatio, quam ad imitandum proponi solet ejus fortitudo.

## PERIODUS CICERONIANA.

*Si fuit in republica tempus ullum, cum ex quoque re arma posset è manibus iratorum civium boni civis auctoritas & oratio; tum profectò fuit, cum patrocinium pacis exclusum est, aut errore hominum, aut timore. Id est, tempore belli plurimum valuit boni civis auctoritas.*

## IMITATIO.

## SENTENTIA.

*Nunquam virtus probatur melius, quam in adversis.*

Si est in vita tempus ullum, cum probari possit viri fortis magnanimitas atque constantia, tum profectò est, cum fortunæ reflantis æstum experitur

tur , aut inimicorum injuriā , aut amicorum infidelitate.

## ALIA SENTENTIA.

*Nullum est tempus virtuti aptius , quam Adolescentia.*

Si est in vita tempus ullum , cùm institui facilè possunt ad virtutem hominum animi ; tum profectò est , cùm ætas flexilis ac cerea moderatoris manum non abnuit , aut pravitate cordis , aut morum corruptelâ .

## PERIODUS CICERONIANA.

Cùm multa divinitus , Pontifices , à majoribus nostris inventa atque instituta sunt , tum nihil præclarius , quam quòd vos eosdem & religionibus Deorum immortalium & summae rep. præesse voluerunt ; ut Clarissimi cives remp. bene gerendo , Religiones interpretando , rempublicam conservarent

## IMITATIO.

## SENTENTIA.

*Sapienter constituta sunt virtuti præmia , & supplicia sceleri.*

Cùm multa in omni rep. laudabiliter inventa , felicitérque instituta sint , tum nihil præclarius , quam quòd virtuti præmia , supplicia sceleri proponerentur : Ut boni mercedis exspectatione , mali pœnarum metu in officio continerentur .

## ALIA SENTENTIA.

*In largiendis honoribus non tam nobilitatis , quam virtutis habenda est ratio.*

Cuma

Cùm ad tuendam Impetui Romani dignitatem plenæ singulari prudentiâ leges à reip. moderato-ribus constitutæ sunt , tum illa certè præstantissima , quòd in largiendis honoribus non tam generis , quàm virtutis haberetur ratio : Ut nobiles viri repulsæ metu , ignobiles gloriæ desiderio ad magna quæque accenderentur. Lejay.

## CAPUT II.

### DE TROPI S.

**T**ropus est verbi vel sermonis à propria significatione in alienam cum virtute mutatio. Ut cùm dicimus , *latus segetes* : Verbum *latus* ab homine ad *segetes* transfertur.

Sunt antem tropi numero undecim : in uno verbo septem : videlicet Metaphora , Synecdoche , Metonymia , Antonomasia , Catachresis , Metalepsis , Onomatopœia. In pluribus , quatuor : Allegoria , ( cui addi potest Ironia ) Periphrasis , Hyperbaton , & Hyperbole.

## ARTICULUS I.

### DE METAPHORA.

**Q**uestio 1. Quid est Metaphora?

R. Metaphora, latinè translatio, est, cùm verbum , propter similitudinem transfertur ad rem significandam , quam propriè non significat , ut , si de homine

homine irato, propter similitudinem, quam ha-  
bet cum igne, dicas, ardet ira.

Utimur autem verbo translato, vel quia pro-  
prium deest; ut, gemmant vites, homo durus &  
asper:

Vel quia translatum est significantius: ut, in-  
sensus ira, inflans manus cupiditate, lapsus errore.

Vel quia decentius & ornatius: ut, lumen or-  
ationis, flumen eloquentiae.

Causa, cur delectemur verbis translatis, sive Me-  
taphoris, quamvis adsint propria, est, quod trans-  
latio sit similitudo ad unum verbum contracta: simi-  
litudine autem mirificè capiuntur animi, Differunt  
tamen similitudo & Metaphora, quod illa unum  
alteri comparet; ut, furit ad istar Leonis; hæc pro-  
te ipsa ponat, ut, furit Leo truantem, pro ho-  
mione.

**Q**uestio 2. Quotuplex est Metaphora?  
Res. Quadruplex.

I. Cùm ab animali ad animal fit translatio: ut,  
dicas, hominem latrare, rudere, oggannire.

II. Cùm inanima pro inanimis sumuntur: ut,  
concentu virtutum nihil est suavius: ad clavum  
reip. sedet: amicitia vinculo ligamur.

III. Cùm pro rebus animatis inanima: ut,  
duo fulmina belli, Scipiades: stipes est, immota  
rupe est.

IV. Cùm animata pro inanimis, ut, accipiens  
sonitum saxi de vertice Pastor. Vertex enim de  
hominis summa parte propriè dicitur. Tale est,  
mugunt tonitrua, reboant tormenta, &c.

Mira

Mira sublimitas in Metaphoris est, quando rebus vitâ & sensu carentibus animos & actus damus. Cicero : *Quid tuus ille districtus in acie pharsalica gladius agebat? cuius latus ille nuncro petebat? Qui sensu erat armorum thorum?*

**Q**uestio 3. Quæ maximè vitanda sunt in metaphorâ?

¶. 1. Ne sit humilis. Ut, *saxea verruca*, pro Saxo.

2. Ne sit audacior, quam res postulat, ut, *tempestas commessionis*, pro immoderato convivio; *eristonitru*, pro clamore. Quod si vereâre ne paulò durior translatio esse videatur, mitigatur non nihil audacia, dicendo: *liceat sic loqui; ut ita dicam*. Prope. Quasi. Ità Cic. *Mortuo catone pupillum, ne ita dicam, relictum esse senatum*.

3. Ne longè simile petatur: ut, *syrtis Patrimonii, charybdis bonorum*. Potius scopulum patrimonii & voraginem bonorum dixerim; cum hæc notiora sint istis.

4. Fugienda est dissimilitudo: *Unde non dic cum Ennio, cali ingentes fornices*.

5. Non sit frequens & immodicus metaphoræ usus, qui orationem potius obscureret, quam illustreret.

6. Non omnia, quæ poëtis conceduntur, oratori concessa sunt. *Oraror non dicat, aves pennis remigare*.

Nota bene: Ad Metaphoram pertinent symbo-  
la, emblemata, & cætera id genus: Quæ ne tyrones  
initio detineant, vilum est peculiari capite post fi-  
guras distinguere,

## ARTICULUS III.

DE

## SYNECDOCHE.

**S**ynecdoche, latinè intellectio, est tropus, quo unum ex altero intelligitur. Fieri id octo modis potest.

I. Si ponatur Pars pro toto; ut *puppis* pro *nave*, *ancre* pro *ense*, *tectum* pro *domo*. Tunc enim ex parte intelligitur totum.

II. Si ponatur totum pro parte. Virg. *Fontemque ignemque ferebant*, id est, partem aquæ ex fonte Virg. Aut *Ararim Parthus bibet*, aut *Germania Tigrim*, id est: Parthi aquam bibent ex Arari, Germani ex Tigri.

III. Si unus pro pluribus. Ut, *hostis* habet *muros*: *Romanus* *prælio* *victor*. Miles. *Cæsareus* *Turcum* *exercitum* *fudit*.

IV. Si plures pro uno. Ut, *oratores* *visimus*. *Nos Dei gratiâ*, &c.

V. Si ponatur genus pro specie; seu nomen generale pro speciali. Ut, *ales* pro *Aquila*. *Bellua* pro *Leone*.

VI. Si species pro genere. Ut, *sus sabellicus*, *vinum creticum*, *marmor parium*, pro *quovis alio* *sue*, *vino* & *marmore*.

VII. Si materia, ex qua facta est res, ponatur pro ipsa re. Ut, *ferrum* pro *gladio*, *aurum* & *argentum* pro *pecunia*.

VIII. Si

VIII. Si ponantur antecedentia pro consequentiis. Virgilius. *Albescere celum incipit*, id est, sit dies. Item, *aratra referunt suspensa iuventus*, id est, ingruit meridies, aut etiam nox.

## ARTICULUS III.

DE

### METONYMIA.

**M**etonymia, seu transnominatio, est tropus, in quo ponitur vel causa pro effectu, quod fit, cum author vel inventor rei, pro re ipsa ponitur, ut, *legi Platonem*, id est, ejus libros: *Dona laborat Cereris*; id est panis seu frumentum, cuius inventrix dicitur Ceres; Ita Mars pro bello; *Bacchus*, pro vino; *Vulcanus* pro igne ponitur.

Vel effectus pro causa, ut cum scelus comprehensum dicimus, pro scelerato: Cum maestum timorem, tristem senectutem, pallidam mortem appellamus.

Vel continens pro contento, ut, *Roma* pro Romanis, *seculum felix*; pro hominibus istius seculi.

Vel possessor pro re possessa, Virg. *Jam proximus ardet Ucagon*, id est, ejus Domus.

Vel signum pro re, ut, *fasces*, pro magistratus; *toga* pro pace; *sagum* pro bello.

# ARTICULUS IV.

DE  
ANTONOMASIA, & ONOMA-  
TOPOEIA.

**A**ntonomasia, latinè pronominatio, est ex-  
pus, qui ponit aliud, pro nomine. Ut, *Ever-  
sus Carthaginis*, pro Scipione: *Romana Eloquentia*  
*Princeps*, pro Cicerone. *Regius Vates* pro Davide.  
*Doctor Mellifluus* pro Bernardo. *Sapiens* pro Sa-  
lomone. *Philosophus* pro Aristotele.

Quod si talia non pro ipso nomine posueris, sed  
nomini addideris, Antonomasia non est, sed Epi-  
theton. Ut: *Magnum illud Africalumen Augu-  
stinius*.

Onomatopœia est fictio nominis, ad rem signi-  
ficarum, quâdam soni similitudine accedentis. Ut  
*mugitus*, *sibilus*, *murmur*, *wagitus*, &c.

# ARTICULUS V.

DE  
CATACHRESI, & METALEPSI.

**C**atachresis est, cùm verbo simili vel propin-  
quo utimur pro certo & proprio. Ut, cùm  
dicimus, *vires hominis breves*; *longum consilium*;  
*gravis oratio*; *equum adificant*. Differt à meta-  
phora, quod sit sic audacior, licet non sit impudens.

MET-

*Metalepsis sive transumptio est tropus, qui ex alio in aliud veluti viam praestat: ut, post aliquos messes, hyemes, soles; id est, post aliquot annos aut dies. Nam ex messe intelligitur autumnus, ex autumno annus; ex sole dies.*

Virgilius. *Post aliquot, mea regna videns mirabor, aristas. Id est, post aliquot annos.*

*Tropus rarissimus & maximè impropus est.*

## ARTICULUS VI.

D E

### ALLEGORIA.

**A** Allegoria latine inversio, tropus est, qui aliud verbis, aliud sensu ostendit. Dicitur potest continuata metaphoræ: Metaphora enim unico fit verbo, Allegoria pluribus. Unde ubi de homine simplice dixeris, ovis est, habes metaphoram; Dic, ovem rapaci lupo commisisti, & allegoriam feceris.

### EXEMPLA ALLEGORIARUM EX CICERONE.

**M**iror, querorque, quenquam hominem ita perfundare alterum verbis velle, ut etiam navem perforet, in qua ipse naviget.

Tucum in hoc nlcere unqvis existeres, nonne fuit è major adhibenda medicina, que malum sanare posset?

*Quod conceptum resp. periculum parsuit, confusio discentem & comprimam.*

B 2

Responz.

Respondit, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum, id se non aquâ, sed ruinâ restinctum.

Quod fretum, quem Euripum tot motus: tantas, tam varias habere reputatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes & quantos astus habet ratio coniunctionum? Dies intermissus unus, aut nox interposita, sèpè perturbat omnia, & totam opinionem parva nonnunquam commutat aurarumoris.

Neque tam fui timidus, ut, qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipublicæ navem gubernasssem salvâmque in portu collocâsem, frontis tua nubeclam aut collegæ thi contaminatum spiritum perhorrescerem: Alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas, alius tempestatibus non cessi.

Nolitam esse injustus, ut cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis patens clausos esse oportere.

Periculum residuebit & erit inclusum penitus in ipsis atque in visceribus reip.

Ruere illa non possunt, ut hæc non eodem labefactata motu concidant.

Ceteras tempestates & procellas, in illis duntaxat fluctibus concionum, semper Miloni putavi esse subeundas.

In his aliisq; Tullii Allegoriis vides, translata verbis simplicibus & propriis misceri oportere, ne allegoria in obscurum ænigma transeat.

Cavendum etiam, ne, ubi ab aqua cœperis, in igne desinas; ut, si diceres, magnis iruidia fluctibus conflagravi.

# ARTICULUS VII.

## DE IRONIA.

**I**RONIA, quam illusionem vocant, est, cùm non solum aliud sensu, aliud verbis, sed etiam contrarium ostenditur. Ut, *O præclarum custodem ovium, ut ajunt, lupum!*

Facilè advertitur, oratorem ironice & illusoriè loqui, vel ex ipso pronunciandi modo, vel ex disconvenientia verborum cum re vel cum persona, de qua fit sermo.

Sicut autem ironia cùm pluribus verbis constat, refertur ad Allegoriam; ità ad metaphoram; si uno: ut, si de homine deformi dicas, *O Nar-*  
*cisse!*

# ARTICULUS VIII.

## DE PERIPHRASI & HYPERBATO.

**P**Eriphrasis est, cùm pluribus verbis id, quod uno aut paucioribus dici potest, explicatur. Ut, ille, à quo vitam accepisti, id est, Pater. Virg. Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris incepit. Id est, erat nox.

Frequentissimè hoc tropo utuntur Poëtæ atque

Imprimis ad explicandum tempus, locum, &c. Ora-  
tor verò si, quæ brevius dici poterant, sive ornatus  
fusius deduxerit, *Peripatalogia*, id est, superflua lo-  
quacitas, dicitur.

*Hyperbaton* est tropus, qui, cum decore, va-  
botum perturbat ordinem. Ut, *mecum, tecum,*  
*quibus de rebus.*

Poëtæ etiam syllabatum divisionem faciunt, ut  
*quò-te-cunque feres: Septem-subiecta-trioni.*

## ARTICULUS IX.

### DE HYPERBOLE.

**H**yperbole est tropus, quo res supra veritatem  
augetur aut minuitur. Ut, *facies nive can-  
dior, homo ventis celerior, homo triobla-  
tis, vix ossibus hærens.*

Cicero frequentissimè Hyperbolæ adhibet tam  
in laudem, quam vituperium. Tales sunt pro le-  
ge Manil. *In his locis Pompejum sicut aliquem non  
ex hac urbe missum, sed de celo delapsum intuentur.*

Ibid. *Extremâ pueritiâ miles fuit summi impe-  
ratoris: Sapiens cum hoste conflixit, quam quisquam  
cum inimico concertavit: plura bella gessit, quam  
eaterilegerunt, &c.*

Pro Marco Marcel. *Nullius tantum est flumen  
genii, nulla dicendi aut scribendi tanta vis, tanta-  
que copia, quæ non dicam exornare, sed enarrare Cas-  
sar! restuas gestas possit.*

Ibid. Vereor, ut hoc, quod dicam, non perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio e ipsam victoriam viciisse videris, cùm ea ipsa, que illa erat adepta, victis remisisti.

Pro domo. Ille gurges avaritiae, belluatus repp. sanguinem, ad calum extruxit villam visceribus erarii.

In Antonium. Quæ charybdis tam vorax? charybdim dico, quæ si fuit, fuit animal unum: Oceanus medius fidius vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas tam citò absorbere potuisse.

Pro Milone. Non potest dici satis, ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii lateat.

Pro Cornœdo. Faciem considerate. Nónne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nónne ab imis unguibus usque ad verticem summum, ex fraude, fallacia, mendacii constare totus videtur? Qui idcirco capite & superciliis semper est raus, ne illum quidem pilum viri boni habere videntur.

## CAPUT III. DE FIGURIS VERBORUM.

**F**igura est conformatio quadam orationis, remota à communi & primùm se offerente ratione, sive, est ornatus quidam sermonis supra vulgarem loquendi modum.

Alia est verborum, alia sententiarum. Figura verborum consistit in verbis; sententiarum, in sententiis. Fiunt autem figuræ verborum tribus modis; nimirum adjectione, detractione, & vocum similitudine.

## ARTICULUS I.

### DE FIGURIS VERBORUM PER ADJECTIONEM.

**F**iguræ, quæ per adjectionem vocum fiunt, sunt sequentes: Repetitio, conversio, complexio, traductio, synonymia, polyptoton, polysyndeton, gradatio.

**Q**uestio 1. Quid est repetitio?

R. Est, cùm ab eodem verbo sèpiùs ducatur oratio.

In Catil. *Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non videam planeq; sentiam.*

Pro Quinct. *Quid haec amentia, quid haec festinatio, quid haec matritas tanta significat? non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam ius, quam officium, quam pudorem?*

Ad Heren. *Quem populus Romanus, quem Senatus, quem omnium existimatio damnavit, eum vos sententiis vestris absolvatis?*

Phil. 2. *Accusa senatum; accusa Equestrem ordinem, qui cum senatu copulatus fuit; accusa omnes ordines; Eccl.*

## RHETORICÆ.

28

Catil. 1. Nihilne te nocturnum præsidium palatii?  
nihil urbis vigilie? nihil timor populi? nihil con-  
sensus bonorum omnium? nihil hic munitissimus ha-  
bendi secessatus locus? nihil horum ora vultusq; move-  
runt?

Imitate. Nihilne te, sceleratum caput! suprema  
majestas Numinis? nihil tribunal judicis? nihil jac-  
tura cœlorum? nihil inferorum aeterni cruciatus atque  
tormenta moverunt?

Questio 2. Quid conversio? Re. Est, cùm in idem  
verbum sæpiùs conjicitur oratio.

Philip. 2. Doletis tres exercitus populi Rom. in-  
terfectos? interfecit Antonius: Desideratis clarissi-  
mos cives? eos vobis eripuit Antonius: auctoritas  
hujus Ordinis afflcta est? affixit Antonius.

Imitate. Doletis eversa esse templa? Evertit hæ-  
resis: lugeris sacra majorum monumenta suis spo-  
liata esse ornamentis? spoliavit hæresis: Sacerdotes  
crudelissimè trucidatos? trucidavit hæresis.

In Vatin. Atque illud etiam audire à te cupio,  
quare, cùm ego legem de ambitu tulerim? sine vi tu-  
lerim; salvis auspiciis tulerim, salvâ lege alia & fusia  
tulerim, talem esse legem non putas?

Ad Heren. Ex quo tempore concordia de civitate  
sublata est; fides sublata est, amicitia sublata est,  
resp. sublata est.

Questio 3. Quid complexio? Est, quæ repe-  
titionem & conversionem complectitur.

Ad Heren. Qui sunt, qui fœderaruperunt? Car-  
B § thagi-

thaginenses : qui sunt, qui crudele bellum in Italia  
gesserunt? Carthaginenses : qui sunt, qui postulans  
sibi ignoscit? Carthaginenses.

Imitare. Vis, O Christiane! frenare libidinem,  
ora: vis hostem pudicitia superare? ora: vis tempe-  
rantia coronam referre? ora.

Pro lege Agra. Quis legem tulit? Rullus: quis  
majorem populi partem suffragiis pruvavit? Rullus:  
quis comitiis praefuit? idem Rullus.

**Q**uestio 4. Quid conduplicatio? s. Est verborum  
geminatio; quæ sit, vel statim initio, vel post  
aliquam interjectionem; vel in fine. ut,

In Catil. Vivis, & vivis non ad deponendam sed  
ad confirmandam audaciam.

In Anton. Bona, miserum me! consumptis enim  
lacrymis tamen infixus animo heret dolor; bona, in-  
quam Pompeji Magni acerbissime voci subjecta sunt  
praconis.

Ad Heren. Nunc etiam audes in horum conspe-  
ctum venire? proditor patriæ! proditor, inquam,  
patria! venire audes in horum conspectum?

In Verrem. Multi & graves dolores inventi pa-  
rentibus; & propinquis multi.

Pro M. Marcello. Vidimus tuam victoriam pre-  
riorum exitus terminatam: gladium vaginâ vacuum  
in urbe non vidimus.

Quatuor hæ figuræ miram vim urgendi habent.  
At complexio, cùm statim in sensu incurrat, ra-  
xior esse debet; Repetitionis autem usus frequentior  
permittitur.

Questio

**Q**uestio 5. Quid Traductio? R. Est ejusdem verbi crebrius positi quædam distinctio. Ut, cur tam rem tam studiosè curas, quæ multas tibi dabit curas?

Amari jucundum est, si curetur, ne quid infic amari. Divitias sine divitum esse; tu vero virtutem præfer divitiis. Cicero ad Heren.

**Q**uestio 6. Quid Polyptoton? R. Est casuum aut temporum commutatio: cùm scilicet idem verbum in alio casu aut tempore, aut etiam genere ponitur.

Pro Flacco. Civis civem à civibus, communis humanitatis jure & misericordia, deprecor.

Ad Heren. Eum tu hominem appellas, qui, si fuisset homo, nunquam tam crudeliter vitam hominis petiisset.

Pro Archia. Pleni sunt omnes libri, plena sapientum voces, plena exemplorum vetustas.

Item, vide rivos sanguinis à te profusi, si tamen id intrepidus videre potes, quod bellua sine horrore non videret.

**Q**uestio 7. Quid Synonymia? R. Est, cùm verbæ idem significantia congregantur.

In Catil. Abiit, excessit, erupit, evasit. Num redire non sinam, non feram, non patiar.

Interdum etiam sensus idem facientes coacevuntur.

In Catil. Tandem aliquando furentem audaciā, scelus anhelanteem, pestem senatui nefariè molientem ex urbe vel occidimus vel omisimus.

## LIBER III.

In Anton. Tu illam domum ingredi ausus es? Tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum adium Deus penatibus os illud impertunissimum ostendere?

In Pison. Ego te non recordem, non furiosum, non mente captum, non tragicō illo Oreste aut Athamante dementioremputem?

Et miserum te, si non intelligis, haec literis mandari, hoc memoriae prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium seculorum unquam immorem fore.

Hæc figura ut ornet orationem, non oneret, sic usurpanda est, ut levioribus succedant voces graviores; quibus crescat oratio.

**Q**uestio 8. Quid Polysyndeton? **R.** Est sermo conjunctionibus abundans.

Ad Heren. Et in inicico proderas, & amicum la-debas, & tibi ipfi non consulebas.

Virgil... Lectumque Laremque.

Armaque Amicleumque Cakem, Cressamque Pha-retram.

Téque, cuique similes, tibique charos & aspernor & aversor & execror; nec timeo minas, quas jactas, nec terrent me pericula, quæ denuntias. Cicero.

**Q**uestio 9. Quid Gradatio? **R.** Est figura, quæ petit, quæ dicta sunt, & priusquam ad aliud descendat, in prioribus resistit.

Ad Herenn. Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria emulos comparavit.

Pro Rosc. Amer. In urbe luxuries creatur; ex luxuria existat avaritia necesse est; ex avaritia erum-pit audacia; inde omnia scelera ac maleficia gignun-dur.

Pro.

Pro Milone. Neque verò se populo solum, sed etiam senatui commisit: nec senatus modo, sed publicis praesidisis & armis: neque his tantum, sed etiam ejus potestati, cui senatus totam rem, commisit.

Altud. Quantum in recta juventutis institutione momentum esse possum arbitramur, cum per juventutem integræ simul familiæ excolantur; in familiis civitates; in civitatibus Provinciæ; in provinciis universa regna?

Notat. Quintilianus L. 9. C. 3, hanc figuram, cum affectatam artem sapiat, rarius usurpandam esse.

## ARTICULUS II.

### D.E

### FIGURIS VERBORUM PER DETRACTIONEM.

Eiusmodi sunt Synecdoche, dissolutio, adiunctio, Disiunctio & Syncæcrosis.

**Q**uestio I. Quid Synecdoche? R. Est, cum verbum subtractum sat & ex ceteris intelligitur: Ut; hic tumultu famuli, lugere ancilla, mærere filii, conjux misera lamentari. Subaudi, cœpit vel cœperunt.

Cicero ad Brut. Sermo nullus, scilicet nisi de te: subintellige, habetur. Cælius in Antonium: stupore gaudio gracis. Supple, cœpit Virg. Sed quis tandem? subaudi, estis.

Hæc

Hæc figura in narrationibus frequentissima, differtque ab Aposicopeli. quod in hac minus certum sit verbum, quod tacetur.

**Q**uestio 2. Quid Dissolutio? R. Est, cum demptis conjunctionibus dissolutè plura dicuntur.

In Catil. Abiit, excessit, erupit, evasit.

Pro Archia. Hæc studia Adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium ac solatum præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

Ibid. Homerum Colophonii sum esse civem dicunt; salamini repetunt; Smyrnæi sum esse confirmant.

Dissolutio opponitur Polysyndeto; illa concitationem, hæc graviorem orationem facit.

**Q**uestio 3. Quid Adjunctio? R. Est figura, in qua ad unum idemque verbum plures sententiæ referuntur.

Pro M. Marc. Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil prefectus, nihil cohors, nihil turma decerpit.

Pro Quint. Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

Pro lege Man. Non eum avaritia ab instituto cursu ad prædam revocavit; non libido ad voluptatem, non amaritas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique libertas ipsa ad quietem.

Pro Rosc. Amer. Quid tam commune quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littoris ejectis?

Quæstio 4.

**Q**uestio 4. Quid est Disjunctio? *R.* Est figura priori contraria, (atque ideo perspicuitatis gratiâ hic traditur) cùm eorum, de quibus dicimus, unumquodque certo clauditur verbo.

Pro Archia. *Hac studia Adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas resonant, &c. ut suprà.*

Ibid. Ità vivo, judices! ut ab illis nullo me unquam tempore aut commodum aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocarit, aut denique somnus retardarit.

**Q**uestio 5. Quid Synæcrosis? *R.* Est figura, quæ duas res diversas uno eodemq; verbo colligat.

Ut, iam deest avaro, quod habet, quam quod non habet.

Item, pessima res est, Enim servitus Enim libertas.

Item, repratore, sicuti milites palmarum stirpis; pradores scuto frumento alebantur. Cicero.

## ARTICULUS III. DE FIGURIS VERBORUM PER SIMILITUDINEM VOCUM.

**T**ales sunt octo: Aenominatio, similiter oadens, similiter desinens, comparative sive Isocolon, Antitheton seu contrapositum, commutatio, correctione, dubitatio.

Quæstio 1.

**Q**uestio 1. Quid Annominatio seu paronomasia?  
R. Est, cùm paululum immutata verba atque deflexa in oratione ponuntur.

Philip. 3. Magister ejus ex oratore arator factus est.

Hansp. Resp. Non modo vincere, sed vincire eum oporteret.

In Catil. De hujus urbis atque adeò orbis exitio cogitant.

Pro Cluent. In hac calamitosâ famâ quasi in aliqua perniciōsissima flamma.

Tum iste vir optimus, opimum dicere volebam,  
Et, non exigo, ut immortaris legationi, immorare,  
Cùm lectum petis, de letho cogita. Quæ no-  
cent, docent.

Delectat hæc figura & ferit, si in loco ahibeatur.

**Q**uestio 2. Quid similiter eadens?

R. Est, cùm in eadem constructione verborum, duo vel plura iisdem casibus effeuntur.

Pro Marcel. Soleo sape ante oculos ponere, Et cre-  
bris usurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperato-  
rum res gestas cum tuis nec contentionum magnitu-  
dine, nec numero prætorum, nec varietate regionum  
nec dissimilitudine bellorum posse conferri.

Pro Roscio Amer. Quid tam commune, quam  
Spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus  
littus ejectis?

In Verrem. Est idem Verres, qui fuit semper, ut  
ad audiendum projectus, sic paratus ad audiendum.

**Q**uestio 3. Quid similiter desinens? R. Est dua-  
rum vel plurium sententiârûm similiis exitus,  
similis

Similis exitus, sive in casus aut tempora, sive aliter terminentur v. g. ejusdem non est & facere fortiter, & vivere turpiter.

Pro lege Manil. *Itaque non sum prædicaturus, quantas res ille domi forisque gesserit; ut ejus voluntatibus non modù cives semper assenserint, socii obtemperarint, hostes obedierint, sed etiam venti tempestatesque obsecundarint.*

Ibid. *Tantum bellum Cneius Pompeius extremā hyeme apparavit, incunie vere suscepit, mediā aestate confecit.*

*Non modò ad salutem ejus extinguendam, sed etiam ad gloriam per tales viros infringendam.*

**Q**uestio 4. Quid est Compar sive Isocolon?

R. Est, cùm membra orationis pari ferè numero syllabarum constant. Ut:

Gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempera legibus.

Pro Cluent. *Vicit pudorem libido, timorem anda-cia, rationem amentia.*

In Catilin. *Abiit, excessit, erupit, evasit. Item, extremā hyeme apparavit, incunie vere suscepit, mediā aestate confecit.*

Ubi adverte, plures figuræ iisdem posse verbis contineri.

**Q**uestio 5. Quid Antitheton, sive contrapositum?

R. Est, cùm singula singulis, vel bina binis opponuntur.

In Catil. *Ex hac parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia; illinc stuprum: hinc honestas, illinc turpitude.*

In Verrem. *Conferte hanc pacem cum isto bello, hujus*

pratoris Adventum cum illius Imperatoris uitaria,  
longus cohortem impuram cum illius exercitu invicto.

Pro Milone. Est enim haec non scripta, sed nostra  
lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, ve-  
rism ex natura ipsa antiputamus, hancesse, expre-  
ssimus ad quam non docti, sed facti, non insitenti, sed  
imbuti, natus.

**Q**uestio 6. Quid Commissatio?

R. Est, cum dñe sententiae inter se discre-  
pantes ita esteruntur, ut ex priore proveniat poste-  
rior contraria.

In Verrem. Laborant, non ut per te alium, sed ut  
per aliquem te ipsum ulciscuntur.

Pro Quinto. Multum commemorari de se, cum  
posset perdere, pepercisse, quam cum parcere posui-  
set, perdidisse.

Item. Non ut edam, vivo, sed ut vivam,edo.

**Q**uestio 7. Quid Correctio?

R. Est figura, quam orator dictum verbum cor-  
rigit, vel aliud ejus loco substituit.

Pro Cælio. O stultitia! stultiamne dicam, an im-  
pudentiam singularem?

Pro Rosc. Am. Quae coniuvia isti nos modi domos  
ad omnes hec habendo est potius, quam officina nequitia.

**Q**uestio 8. Quid dubitatio?

R. Est, cum quærente videtur orator, utrum de  
duobus potiis, aut quid de pluribus potissimum dicat?

Pro Quinto. Quo te nomine appellemus? impro-  
batus? improbissimus reperiens? fraudulentum?  
jam id quidem arrogans tibi & præclarum putas: auda-  
cem? cupidum? perfidiosum? vulgaria & obsoleta sunt.

In Verrem. Venio nunc ad istius, quem ad medium  
ipse

## RHETORICA.

35

ipse appellat, studium; ut amici ejus, morbum Cin-  
saniam; ut sicuti, latrocinium; ego, quo nomine ap-  
pellam, nescio.

Scipio ad Milites. Apud vos quemadmodum lo-  
quar, nec consilium nec ratio suppeditat, quos nec  
quon nomine appellare debeam, scio. Cives? qui à  
patria vestra descivisti: milites? qui Imperium  
auspiciūnsque abnūisti: Sacratos? Religionem ru-  
pistis: hostes? corpora, oras, vestitum, habitum ci-  
vium agnosco; facta, dicta, consilia, animos hostium  
video. Lixius I., 8. decade. 3.

## CAPUT IV.

DE

## FIGURIS SENTENTIARUM.

Sententiarum figura est exornatio, quæ non in  
verbis, sed in ipsis rebus quandam dignitatem,  
& quidem maiorem habet.

Quo genere quia excelluit Demosthenes, idcir-  
co oratorum Princeps est judicatus.

Sunt autem sententiarum figuræ sequentes vi-  
ginti quinque.

### INTERROGATIO.

Est figura, quoties non sciscitandi gratiā, sed  
instandi, indignandi, aliisque de causis in-  
terrogamus.

Pro Roscio. Stipulatus es: ubi? quo die? quo tem-  
pore? quo presente? quis proponuisse me dicit?

In Pisonem. Quid ego illorum dierum epulas, quid  
cum tuis sordidissimis gregibus intemperantissimas  
perpotationes prædicem? quis te illis diebus sobrius?

*quis agentem aliquid, quod esset libero dignum? quis denique in publico vidit?*

*In Catil. Quousque abutere, Catilina! patientia nostra? quamdiu nos etiam furor iste tuus eludet? Ego.*

*Pro lege Manil. Virtuti Cneii Pompei quae potest pars oratio inveniri? quod nomen unquam in orbeterarum clarius fuit? cuius res gestae pares?*

## RESPONSI.

**E**st, cum aliquid interroganti, aliquid, quod sit utilius, respondetur, aut augendi aut minuendi causa.

*Ut, an fustibus vapulasti? Ego innocens quidem. Hominem occidisti? immo latronem Ego parricidam.*

## MUS. SUBJECTIO.

**E**st cum orator vel interrogat seipsum, & respondet sibi, vel cum alium interrogavit, non exspectat responsum.

*Pro Ligario. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, quicum sciret, tamen me, antequam videt, reip. reddidit.*

*Pro lege Manil. Quid tam novum, quam Adolescentulum privatum exercitum difficulti reip. tempore conficer? confecit: huic praesesset prefuit: rem optime ductu suo gerere? gessit.*

*De Arusp. Resp. Tu meam domum religiosam facere potuisti? ecquamente? quam invaseras: quam manu? quam disturbaras: quam voce? quam incendi jusseras: quam lege? quam in illa tua quidem impunitate scripseras.*

ANTE.

## ANTE OCCUPATIO.

**E**st figura, quā orator occupat & solvit id, quod objici posse.

Pro Cælio. Dicet aliquis: *hac est igitur tua disciplina? sic tu instituis Adolescentes?* ob hanc causam tibi hunc puerum parens commendavit & tradidit, ut in amore & voluptatibus Adolescentiam collocaret. Ego, judices! si quis hoc animi labore atque hac indele virtutis ac continentiae fuit, ut respueret omnes voluptates.... hunc meā sententiā divinis quibusdam bonis instructum atque ornatum puto.

Divin. in Verreim. Si quis vestrūm aut eorum, quē adsunt, fortè miratur, me, qui tot annos in causis iudicisque publicis ita versatus sim, ut defenderim multos, læserim neminem; subito mutata voluntate ad accusandum descendisse; is, si mei consilii causam ratiōnem, & némque cognoverit, unā & id, quod facio, probabit, & in hac causa profectò neminem præponendum esse mibi actorem putabit.

Formulæ hujus figuræ apud Tullium leguntur sequentes: *Forsitan queretis; Fortè dicet quis. Etiam dicere audebis. Sed quæ audio, dissimulare non possum: Reprehendo igitur? minimè vero: neque enim ego, &c.*

## CORRECTIO.

**E**st, quæ tollit sententiam aliquam, cāmque alia, quæ magis idonea videtur, emendat & corrigit.

Pro Lig. Quaro, quid facturi fuissetis & quanquam  
quid facturi fueritis, non dubitem, cum videam, quid  
feceritis.

Philip. 3. Caius Caesar Adolescens, penè potius  
puer, firmissimum exercitum comparavit; patriono-  
num effudit: quanquam non sumus usi eo verbo, quo  
decuit, non enim effudit, sed in salutem reip. collocavit.

Philip. 2. Hec ut colligeres, homo amentissime!  
tot dies in villa declamasti: quanquam tu quidem, ut  
familiarissimi dictitant, vini exhalandi, non ingenio  
causa declamitas.

Pro lege Manil. Quām multas existimatis Insulas  
esse desertas? quām multas aut metu desertas aut à  
prædonibus captas urbes? sed quid ego longinquacor-  
memoro? &c.

### DUBITATIO.

**E**st, cùm querit Orator, unde incipiendum aut  
desinendum; quid omnino aut quid potissimum  
dicendum.

Pro Roscio. Quid primum querar, aut unde po-  
tissimum exordiar? aut quod, aut à quibus auxi-  
lium petam? Deorumne immortalium? populine Ro-  
mani? vestramne, qui potest aiem summam habetis,  
hunc tempore fidem implorem?

Pro Cluent. Egidem quod ad me attinet, quò me  
vortam, nescio: negem illam rem, agitatam in concio-  
nibus, jaEtatam in judiciis, commemoratam in Se-  
natū? evellam ex animis hominum tantam opini-  
onem? tam penitus insitam? tam vetustam? non es-  
tis nostri ingenii: vestri auxiliu est, judices!

COM-

## COMMUNICATIO.

**E**st, cùm aut ipsos adversarios consultans, vel cum judicibus deliberamus.

Pro Rabitio. Tu denique, Labiene? quid faceres tali in re eo tempore? quam tandem autoritatem, quam uocem, enixa sectans sequi, cuius potissimum imperio parere uedes?

In Verrem. Nunc ego uos consulgo, iudices! quid mihi faciendum putatis: id enim consilii mihi profectum datus, quod egomet mihi necessariò capiendum intelligo.

Pro Cæcin. Quero, si te hodie domum tuam redente in coacti homines, armati non modo lissime tecumque adiutum tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohibuerint, quid acturus sis? mones te amicus L. Calphurnius, ut idem dicas, quod ipse antea dixit, injuriam.

## PROSOPOPOEIA.

**E**st personarum ficta inductio, quâ & vivorum & mortuorum sermones credibiliter introducimus.

In Catilin. Patria tua tecum, Catilina! sic agit & quodammodo tacita loquitur: nullum jam tot annos facinus extitit, nisi per te, nullum flagitium sine te.

In Verrem. Sicilia tota, si unâ voce loqueretur, sic diceret: quod auri, quod argenti, quod ornatorum in eis urbibus, sedibus, delubris fuit, id mihi incripsi, atque abstulisti.

In Antonium. Quod si nunc ille Brutus revivis-

cat, Et hic ante vestros pedes adsit, nonne hac utetur oratione: ego reges eleci; vos tyrannos introducis: ego libertatem, quae non erat, peperi; vos partam servare non vultis.

Pro Balbo. Existat ergo ille vir parumper cogitatione vestrâ, quoniam re non potest, ut conspiciatis eum mentibus, quem oculis non potestis, an non ita loquetur, &c.

### A P O S T R O P H E.

**E**st aversus à judice sermo: quando scilicet orator sermonem suum, ad Deum, superos, &c. ad res etiam inanimatas convertit.

Pro Domo. O Diu immortales! vos enim hæc audiencio: impius hic vestra sacra curat? vestrum numen horret? res omnes humanas vestra religione contineri putat?

Pro Milone. Vos, vos appello, fortissimi viri! qui multum pro rep. sanguinem fudistis: vos in viri civis invicti periculo appello, centuriones vosque milites! vobis non modo inspectantibus, sed etiam armatis hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur? exterminabitur? ejicietur?

Pro Balbo. O nationes! urbes! populi! Reges! teatrarchæ! testes Enei Pompeii non solum virtutis in bello, sed etiam Religionis in Pace! vos, mutæ regiones! imploro, Et sola terrarum ultimarum! vos maria! portus! Insule! littora! quæ enim oræ, quæ sedes, quis locus, in quo non extent hujus cùm fortitudinis, tum etiam humanitatis impressa vestigia?

HYP-

## HYPOTYPOSIS.

**E**st proposita quædam forma rerum, ita expressa verbis, ut cerni potius videatur quam audiri.

In Catilin. Videor mihi hanc urbem videre lucem orbis terrarum atque arcem omnium gentium, subito uno incendio concidentem: cerno animo sepultam partiam, miseros atque insepultos acervos civium. versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi & furor in via stra cæde bacchanis.

Philip. 2. Personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino; madebant parietes; ingenui pueri cum meritorii, scorta inter matres familiias versabantur.

In Verrem. Procedit iste repente de prætorio, inflammatus scelere, furore, crudelitate. In forum venit: navarchos vocari jubet: Statim occurruunt: iste hominibus miseris innocentibusque injici catenas imperat: implorare illi fidem populi Rom. & quare id faceret, rogare: fit clamor & admiratio Populi, tantam esse in homine impudentiam.

In Verrem. Hæcum maximè loqueretur, sex li-  
tères circumstunt validissimi, & ad pulsandos ver-  
berandosque exercitatissimi: cedunt acerrimè virgis.  
Eorum unus, converso bacillo, oculos misero tundere  
vehementissimè cœpit: itaque ille, cum sanguis os ocu-  
psque compleisset, concidit.

## APOSIOPESIS.

Est præcisio seu interruptio sermonis, ad affe-  
ctum iræ, sollicitudinis, &c. ostendendum.

Virgil. Quos ego: Sed mores p̄fstar componere fluctus.

Ad Herenn. Tu, qui nuper aliena domus: non  
sim dicere, ne, cùm te digna dixero, mea indigna di-  
xisse videar.

Ad Atticum. Ille vero: sed p̄tachari desinamus.

### ETHOPOEIA.

Est imitatio vitæ ac morum alienorum.

Post red. in Sen. Processit, (Gabinius) quā au-  
toritate vir? vini, sonni, stupri plenus: madente  
comā, compasco capitulo, gravibus oculis, fluentibus  
buccis, pressā voce & truculentā.

In Rullum. Trunculentius se gerebat, quam ca-  
teri: jam alio valer, alio vocis sono, alte incessu es-  
se meditabatur: vestitus obsoletiore, corpore inculto &  
horrido, capillatus quam ante, barbaque majore, ut  
oculis & affectu denunciare vim truncalem, &  
minitari resp. videretur.

Pro Sextio. Facilius facta eorum occurrent men-  
tibus vestris, si ora ipsa oculis proponeritis. Alter  
unguentis affluens, calamistrata comā; alter, O Dñi  
boni! quam tacer incedebat! quam trunculentus! quam  
terribili aspectu! unum aliquem te ex barbatis illis,  
exemplum Imperii veteris, imaginem antiquitatis,  
columnen reip. diceres intueri. Quid de supercilio  
dicam? quod tum hominibus non supercilium, sed  
reip. pignus dicebatur; tanta erat gravitas in oculo,  
tanta frontis contractio, ut illo supercilio respublica  
tanquam Atlante celum, nisi videretur.

## EMPHASIS.

**E**st, cùm plus significatur, quâm dicimus, vel,  
cùm ex dicto aliquid latens eruitur.

Virgilius de Cyclope. *Facuitq; per antrum immensum*, quo prodigiosa corporis magnitudo significatur: & milites ex equo Trojano prodeentes describens ait: *Demissum lapsi per funem*, ut intelligatur equi altitudo.

- Juvénalis de Mathone: *Leptica Mathonis plena ipso.* Inde moles vasti corporis eruitur.

## SUSTENTATIO.

**E**st figura, quâ diu suspenduntur auditorum animi, atque aliquid deinde inexspectatum subjungitur.

Martialis in Lupercum.

*Quod convivaris sinè me tam sœpe, Luperce!*

*Inveni, noceam qua ratione tibi.*

*Irascar: licet usque voces, mittasque rogesque:*

*Quid facies? inquis: quid faciam? veniam.*

**I**N Verrem. *Fusso ejus homines comprehensi, causâ dictâ, damnati sunt. Quid deinde? quid censem? furtum fortasse aut prædam exspectatis aliquam? nolite usqueaque eadem querere: in metu belli, furandi locus quis potest esse? .... exspectate facinus quâm vultis improbum, vincam tamen exspectationem vestram: illi nomine sceleris conjurationis damnati, ad supplicium traducti, ad palum alligati, repente multis hominum millibus inspectantibus, soluti sunt & Domino redditî.*

In

In Antonium. Quid p̄st̄em? contemptumne meū non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, quod despicer possit Antonius. An in senatu faciliū de me detrahi posse credidit? hic ordo clarissimis civibus bene gestā reip. testimonium, mihi uni conservata dedit. An decertare mecum voluit contentionē dicendi? hoc quidem beneficium est: quid enim plenius, quid uberior mihi, quam pro me ē contra Antonium dicere? illud profecto est, non existimavit suī similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.

## P R A E T E R I T I O.

**E**st, cūm dicimus nos præterire, aut non scire, aut nolle dicere id, quod maximè dicimus.

In Rullum. Non queror diminutionem vestigium, non flagitium hujus iacturæ atque damni: prætermitto illa, quæ nemo est quin gravissimè ē verissimè conqueri possit: De periculo salutis ac libertate loquor.

In Vatinium. Illud tenebricosissimum tempus inventis etatis tuæ patiar latere; licet impunè parietes in Adolescentia perfoderis, vicinos compilaris, matrem verberaris: habeat hoc præmium tua indignitas, ut Adolescentia turpitudo obscuritate ē sordibus tuis obtegatur. At, ēc.

Pro Sextio. Possum multa dicere de ejus liberalitate, de domesticis officiis, de tribunatu militari, de Provinciali, de in eo Magistratu abstinentia: sed mihi ante oculos obversatur reip. dignitas, qua me ad sese rapit, ē minora hac relinquere hortatur.

In

In Verrem. Nihil ille à me de pueritiae sue flagitiis audiet; nihil ex illa impura adolescentia sua; omnia præteribo, quæ mihi dictu turpia videbuntur: neque solum, quid istum audire, sed etiam quid me deceat dicere, considerabo.

Pro Cluen. Mitto injuriam illam; mitto nefarias nuptias; mitto expulsam matrimonio filiam: nihil de ejus cupiditate queror, &c.

## L I C E N T I A.

**E**st, cùm apud eos, quos vereri debet orator, tamen aliquid licentiūs dicit, quod minimè offendit.

Pro Ligario. Vide, quām non reformidem. Quantum potero, voce contendam, ut hoc Populus Rom. exaudiat: suscepto bello, Cæsar, ad ea arma profectus sum, quæ erant suscepta contra te, &c.

Pro Sylla. Attende jam, Torquate! quām ego non defugiam autoritatem consulatūs tui: maximā voce, ut omnes exaudire possint, dico semp̄que dicans: Adeste animis, qui uestis corporibus, erigite mentes aurēsque vestras, & me de invidiosis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Ego consul, &c.

Pro Domo. Rempublicam (disrumpatur licet ista furia, atque audiatur hæc ex me, quoniam lacepsivit) bis servavi.

Philip. 8. Vos, Patres conscripti! grave dictu est, sed dicendum tamen, vos inquam, Sulpiciūm virū privātis.

Pro Milone. An verò iudices! soli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini? vestrae peregrinantur

aures, neque in hoc per vagato civitatis sermonne ver-  
santur? quas ille leges (sæc. leges nominandæ sunt, ac  
non faces urbis & pestes reip.,) fuerit impositurus no-  
bis omnibus, Es.

## CONCESSIO.

**E**s, cùm aliquid etiam iniquum, causæ fiduciâ  
videmur concedere.

In Clodium. Excitate, excitate eum, si potestis,  
ab inferis, frangogetis impetum vivi, cuius vox susti-  
netis furias sepulti?

In Verrem. Verum esto: eripe hereditatem pro-  
pinquis, da palastris: predare in bonis alienis, na-  
minis civitatis: verte leges, testamenta, voluntates  
mortuorum, parricidiorum: numeriam Heracium  
privari bonis operauit?

Pro Ligario. Habet igitur, Tubero! confidentem  
rem, sed tamen ita consenserem, se in ea parte fuisse,  
quæto, Tubero! quæ virum omni laude dignissimum  
Patrem tuum. Itaque prius de delicto vestro fateamini  
necessè est, quæ Ligarii ullam culpam reprehendatis.

## PARENTHESIS.

**E**s declinatio brevis à proposito, cùm medius ali-  
quis sensus intervenit.

In Antonium. At etiam ausus es (quid est autem,  
quod tu non audeas?) dicere, clivum Capitolinum, me  
consule, plenum servorum armatorum fuisse.

Item. O miserum! sive illa tibi nota non sunt (ni-  
hil enim boni nosti); sive sunt, qui apud tales viros  
nam impudenter loquare.

Ibid.

Ibid. Cujus est, non dicam audacia [cupid enim se  
audacem dicit] sed quod minimè vult, stultus?

In Verrem. Sed video, quid agat (neque enim agit  
occultissime) proponit ianua militi nobilitatis, hoc est,  
arrogantiam bonum regnum.

## IRONIA.

**E**st totius voluntatis fictio; quando scilicet orator  
non uno aut paucis tantum verbis, ut sit in Iro-  
nia, quæ tropus est, sed totis sententiis ostendit  
se illusoriè loqui, & aliter, quam sentiat.

Pto Ligario. *Novum crimem, Cai Caesar!* ~~an~~ an  
te hunc diem inauditus propinquus mens Q. Tuba-  
re ad te detulit, *Quintum Ligarium in Africa fuisse.*  
*Itaque, quò mortuam, nescio, &c.*

Pro Milone. Clodii mortem aquo animo ferre ne-  
potest: Luges senatus, meret equestris ordo, tera  
civitas confusa semper est; squalent municipia, afflu-  
antur Coloniae, agri denique ipsi tanta Beneficium,  
tam singularem, tam mansuetum rivego desiderant,  
Hæc ironice omnia.

## In Pisonem Triumphi contemptorem.

Non est integrum Cneio Pompejo, consilio  
famutuuo: erravit enim; non gustavit  
Istam tuam Philosophiam: Ter jam homo Stultus  
Triumphavit. Crasse! pudet me tui; quid est, quod  
Confecto per te formidolosissimo bello coronari  
Illam lauream tibi decerni tantopere volueris?  
Sevili! Metelle! Curio! Africane! cur non  
Hunc audistis tam doctum hominem, tam eruditum,

*Priusquam in istum errorem induceremini?  
Ostulios Camillos! Fabricios! Scipiones!  
Marcellos! O amentem Paullum! Rusticum!  
Marium! nullius consilii Patres horum amborum  
Consulum, qui triumpharunt: sed quoniam  
Præterita mutare non possumus, quid cessat  
Hichomulus, ex Argilla & luto factus Epicureus.  
Dare hac præclara præcepta sapientiae?*

## IMITATIO.

*Ironia in Religiose vitæ Vituperatores.*

**A**udiamus callidos istos è caupona Philosophos, non tam verbis, quam ruetibus Religiose vitæ rationem explodentes. Ajunt vile hoc esse vitæ genus & abjectum, naturæque repugnans, quod hominem naturâ liberum, & sui juris, arbitrio mancipet alieno, perpetuoque velut addictum carceri non omni solum voluptate privet, ac vitæ commodis; sed etiam inertis labore conficiat, vigiliis jejuniisque frangat, irrogatis atque etiam suscepitis sponte pœnis crudelissimè torqueat, penèque adiagat ad violentiam sibi mortem inferendam.

O gravem argutamque Philosophiam! Quām doleo, præclari Doctores, quid tam subtilem matrūs non expromperitis sapientiam, priusquam innumerabiles viri fœminæque omnium conditiorum & ætatum contemptissimam istam vivendi conditionem amplectentur. Neque enim integrum est magnis Ecclesiæ Doctoribus, Basilio, Gregorio, Hieronymo, Chrysostomo, & Augustino consiliis

filiis jam uti vestris. Errâunt illi, non gustârunt  
hanc vestram Philosophiam: hanc enim impruden-  
tes & inconsultissimi homines auctoritatis ignobilis-  
que vitæ rationem tenuerunt. Bruno Parisiensis  
Academie lumen, pudet mortui; quid est, quod re-  
licto celeberrimæ urbis splendore, confessisque  
studiis, præruptatum inviarumque rupium horren-  
das solidudines petiisti? Antoni, Benedicte, Domi-  
nique, cur non hos audistis tam doctos homines, tam  
eruditos, tam præstantes, priusquam in istum erro-  
rem induceremini? O stulti Epiphanii, Damasceni,  
Hilariones, Cœlestini & Eucherii! ô amentem  
Franciscum & Ignatium! ô nullius consilii Alber-  
tum, Thomam, Bonaventuram, Ludovicum, qui  
aspernati voluptatum illecebras, & perniciosa re-  
rum fluxarum blandimenta, ad religiosa claustra  
convolâunt, amplexaturi Christi crucem! Sed  
quoniam præterita mutare non possumus, quid ces-  
sant inanes homuli hæc præclara præcepta dare fa-  
cientiæ, adolescentibus innumeris, qui de hoc in-  
eundo vitæ genere dies noctesque cogitant? Candid.

## DISTRIBUTIO.

**E**st, cum aliquid in partes plures distribuitur,  
Quarum unicuique, subiude ratio sua subjun-  
gitur.

Pro lege Manil. *Ego enim sic existim, in summo  
Imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam  
rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.  
Quis igitur hoc homine scientior unquam aut fuit,  
aut esse debuit? quis, &c. Vide, orat. N. 18.*

In Pisonem. Senatus odit te; quod eum tu facere jure concedis: Videre equites Romani non possunt; quo ex ordine vir prætantissimus Lalius, te consule, est relegatus: Plebs Romana perditum cupit, in cuius tu infamiam, ea, qua per latrones & per servos de meegeras, conculisti. Italia cuncta execratur, cuius idem tu superbissime decreta & preces repudiasti.

Pro Marcel. Hujus gloria, Cæsar! quam paulo antè adeptus es, socium habes neminem: Nihil sibi ex ista laude centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpit: quin etiam illa ipsa rerum humanarum domina fortuna in istius Societatem Gloriæ se non offert: Tibi cedit, tuam esse totam & propriam faterur.

### DE PRECATIO.

**E**st, cum opem alicuius imploramus.

Pro Deiotaro. Hoc nos primum metu, Cæsar, per fidem & constantiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundie suspicemur. Per dextram te istam oro, Cai Cæsar! quam regi Deiotaro hospes hospiti porrexiisti: istam, inquam, dexteram montam in bello & in prælio, quam in promissis & fide firmorem.

Pro Milone. Quid restat, nisi ut orem obtestemque vos, judices! ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quam ipse non implorat, ego autem repugnante hoc & imploro & exposco.

Pro Dotto. Si diis immortalibus, si Senatus, si populo Rom. si uobismetipsis gratum ac jucundum meum

## RHETORICÆ.

15

memorandum intelligitis esse; queso obtestorque vos,  
ut me, quem auctoritate, studio, sententiis restituisse,  
nunc quoque manibus vestris, in sedibus meis colle-  
ceris.

## OPTATIO.

**E**ste, quæ voti alicuius præbet significationem.

**P**ro lege Manil. Utinam, Quirites! virorum  
fortium atque innocentium tantam copiam haberetis,  
ut hac vobis deliberatio difficilis esset, quemnam po-  
tissimum tantis rebus ac tanto bello proficiendum pa-  
taretis.

**I**n Verrem. Unus adhuc fuit post Romanam condi-  
tam (dixaxint, ne sit alter!) cui resp. tota se tra-  
didit.

**P**ro Rabirio. Utinam hanc mihi facultatem cau-  
sa concederet, ut possem predicere Rabirum manus Sar-  
curninum hostem populi Rom. imperfectum!

## EXECRATIO.

**E**st, quâ malum alicui precamur.

**P**ro Deiotaro. Dii te perdant, fūgitive! icā non  
modo nequam & improbus, sed fatuus & amens es.

**I**n Antonium. Quin tu abis in malam pestem mag-  
num cruciatum.

## EPIPHONEMA.

Est rei narratæ vel probatæ summæ acclamatio.

Virgilius post enarrata Trojanorum pericu-  
la, coronidis loco subjicit:

D 2

Tanta

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Cicero, cum parsimoniam multis extulisset laudibus, concludit. *Dui immortales! non intelligunt homines, quām magnum vettigal sit parsimonia.*  
Paradox. i.

## OPTATIO

## EXCLAMATIO.

Est, quæ conficit significationem doloris aut indignationis, per hominis aut rei alterius compellationem.

Pro cluent. *O muleris scelus incredibile, & præter hanc unam, in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam & indomitam!*

In Catil. *O tempora! O mores! Senatus hoc intelligit, consul videt; hic tamen vivit.*

In Anton. *O miserum me! consumptis enim lacrymis infixus tamen pectori heret dolor:*

In Pisonein. *O Scelus! O Pestis! O Labes!*

## APPENDIX.

Ut manifestum fiat, quantum momenti afferant figuræ ad eos quaslibet exornandas atque amplificandas, vide sententiani eandem variis figuris illustratae atque exornatae.

## SENTENTIA.

*Peccatum fugiendum est, quia penas in hac vita innumeras affert, in altera eternas.*

*Per Repetitionem.*

Quid agis, amens peccator! quid moliris? quid est, quod tot flagitiis corpus animumque contamines? an nescis, innumerabiles à peccato miseras invichi?

*Per Complexionem.*

Quid turbas movet, seditiones excitat, bella generat? nonne peccatum? quid infert mentis ægritudines, quid morbos, quid cruciatus, quid cædes innumeræ? nonne peccatum? quid naufragia navigantibus, quid pestilentiam turbibus, quid agris vastitatem, quid mortalibus denique omnibus mortem importat? nonne peccatum?

*Per Conduplicationem.*

Nescis, impure! nescis, quod tua te libido rapiat? nescis, Avare! nescis, quos ad scopulos te allitura sic cupiditas opum?

*Per Gradationem.*

Ubinam tandem subsistes, culpa pestilens! quædemum in gradu malorum hærebis? dolore corpus conficis, an non id satis est? caliginem ostundis menti, frangis ingenii vires, de statu naturæ totum hominem dejicis; quò ultra terpes? etiam mortem affers? scio ac video: utinam mors saltem esset malorum postremum! at non erit: ultra mortem quoque peccatum desæviet.

*Per Dissolutionem.*

Illecebrosum quidem est peccatum ad voluptatem, sed crudele ad pœnam, fœdum ad ignominiam, æternum ad diuturnitatem: Et illud in se admittere quis audeat? eo delectari? in illo vivere? cum illo mori?

*Per Adjunctionem.*

Ecquando facietis peccandi finem, mortalius nequissimi! ecquæ vos ratio ab insania, aut ab imprudicitia pudor, aut ab effrænata licentia timeret, aut à sceleri pietas aut à dedecore honestas revocabitur?

*Per Dubitationem.*

Quo te nomine appellem noxa exitialis? morbum? morbis omnibus acerbior es: Pestera? te nulla pestis tetrior ac præsentior: incendium? aliquid es perniciosius: feram immanem? immanior existis: mortem calamitosissimam? parum est illud quoque. An illa simul omnia te esse dicam; nec satis istud.

*Per Compar.*

Videte stultitiam peccantium. Donios ipsi suas fodunt, quibus obruantur: Pyras exstruunt, in quibus ardeant: nectant laqueos, quibus se interimant: aucupantur momentaneas voluptates, ut æternis crucientur doloribus.

*Per Antithesis.*

**E**xultas miser, dum te sceleribus inquinas:

vinctus es, & Eberum te prædicas: conceptam in  
præcordis mortem contines, & vitæ delicias secta-  
ris: paratur tibi mala crux, & rudes: discedit anto-  
pedes tuos terra horrendo hiatu, & latus insilis: O  
excitatem!

*Per Subjectionem.*

Quod malum, quæ calamitas, quod morbi ge-  
nus esse potest, quod non oriatur à peccato & plâ-  
gas times? terror est: ignominiam metuis? nihil  
peccato turpius: vitam amas? Ah! mors est omni  
morte crudelior.

*Per Communicationem.*

Si imminentem à tergo carnificem videres stricte  
fatto manuque jam elatâ paratum ad cervices tibi  
amputandas, simul ac esset quidpiam contra honestâ  
leges commissum, quid ageres? Quidquámne ta-  
le perpetrares? atqui cùm immineat tibi æterna  
mors, novis te quotidie criminibus contaminas.

*Per Protopopæiam.*

Dictis mois fidem non adhibes? audi, quid vo-  
ciferentur homines illi, quos vel in hac vita di-  
vexat conscientia malefactorum, vel qui suppliciis  
nunquam terminandis torquentur: peccata sunt,  
inquit, à nobis commissa, quæ nos excruciant:  
hæ sunt furæ, quæ nos quiescere non sinunt: hæ  
carnifex, qui dilacerant: hæ rotæ, quibus misé-  
tabilem in modum distrahimur,

*Per Apostrophem.*

Quis te, ô beatarum mentium dux quondam Lucifer! quis, inquam, te unà cum tuis affeclis ab altissima cœli regione præcipitem egit in tartarum? Dic tu, ô mortalium mortisque parens infortunatissime! quis te à felicissima vitæ conditione in infelicitissimam deturbavit? O peccatum exitiosum! O maximum unicūmque malum!

*Per Concessionem.*

Esto, ut dicas; insint flagitiis illecebræ, quæ blandiantur sensibus: at catenatum, quibus animam opprimunt, nonne gravitatem sentis? Oscula, quæ libat voluptas, sunt mollia, fateor; at quos simul infligit ungues, & quæ infligit vulnera, eâne suavia esse dices?

*Per Ironiam.*

Immitis injuriæque sum, qui importunâ oratione voluptates turbem liquidas innocentissimum hominum: oblectent se in vino, cœdibus, rapinis; volent se in cœno libidinum; indulgeant cupiditati; nihil mali timendum sis est: Hujus vitæ voluptas æternum est paritura gaudium, præsentes delicias excipiet felicitas nullis temporum limitibus terminanda: spem bonam habeant.

*Per Distributionem.*

Quò te ages, infelix! post paratum facinus? quem appellabis. qui propulset à tuo capite imminentem pestem? amicos? quos flagitiis dedecora-

## RHETORICÆ.

27

sti: propinquos? quibus labem aspersisti. Paren-  
tes? quos æternæ infamiae maculis affecisti. Bonos  
beatosque genios? exhorrent tuum conspectum.  
Deum ipsum? quem offendisti.

### Per Deprecationem.

Quid, quò ruitis? infelices! per salutem vestram  
precor, absistite. In prærupta crepidine præcipitii  
versamini. Aperite, oro vos atque obtestor, ape-  
rite oculos, ac circumspicere, quam horribilia vos  
mala circumstent.

### Per Exclamationem.

O amentiam mortalium! ô stultitiam incredibi-  
lem omnibus lacrymis gemitibusque deplorandam!  
tarpeii momenti voluptatem dolor excipit nun-  
quam finiendus; hoc illi sciunt; hoc fatentur, hoc  
prædicant: & peccant tamen, & flagitia flagi-  
tii cumulant.

### Per Execrationem.

O sancte Deus! aspernantur impii tuum numen;  
tua sacra contemnunt; religionem violent. Quo-  
usque tantam impudentiam malitiāmque patiēre?  
Levia illi duount, quæ in hac vita tolerant: morte  
atroci plecte perditos; ætermis obrue catenis rebel-  
les, suppliciis macta sempiternis.

### Per Prateritionem.

Urte à peccando deterream, non hic ego mala  
enumerabo omnia, quæ culpam consequuntur:  
quis omnia illa vel cogitatione recenseat?

D s

Si

Silebo dolores corporis, angores mentis, terrores stimulosque conscientiae & intestinos eructus: haec, inquam, præteribo mala omnia: æterna solùm inferorum supplicia commemerabo.

Per Hypotyposum.

Enumera, si potes, partem malorum minimam, quæ parit peccatum: cerne ardentes bello regiones; vide exhaustas regiones incolis &c.

Descende cogitatione in tartarium, cerne ignes illos, rotas illas & verbeta: cerne voragini pœnalas & sine fundo fossas, mephitim exhalantes intolerabilem, sulphureamque fumam atro mixtam fumo evomentes. Aspice, ut lanientur isti! ut torreantur alii! ut discerpantur illi! ut omnes incredibiliter crucientur! peccatum tantis omnes pœnis addixit. Ita ferè juvenc.

## C A P U T V.

D E

### SYMBOLO, EMBLEMATE, ÆNIGMATE, LOGOGYRPHO.

**H**Æc ad metaphoram spectant, & ne penitus ignota sint oratori, paucis delibanda sunt.

ARTI

# ARTICULUS I.

DE

## SYMBOLO & LEMMATE.

**Q**uestio 1. Quid est Symbolum, ein Sinn-Bild?  
R. Est translatio rei non intelligentis ad personæ alicujus intelligentis mores vel actiones ob similitudinem significandas & exornandas.

Diciter primo, *rei non intelligentis*; puta piscium, avium, brutorum, plantarum: item non viventium, uti lapidum, metallorum: demum artefactorum, insignium, & in fabulis adhibitorum, uti caducei Mercurii.... Hinc in artificiose pingitur claudus in Symbolo Alberti II. Austriaci, *E hic virum agit.* Pallas armis subjectis insidens: requies habet certa laborum, Symb. Caroli Reg. Navarræ: verbo omnis genius, Angelus, Dii, figura humana in Symbolo tolerari non possunt.

2do, *rei unius*. Nisi fors plura corpora cèderent, v. c. avis in arbore: Malleus & Incus. Grex cervorum. Hinc Symbol. Lud. X. gladius incumbens dorso testudinis, domi forisque, ad ostentandam securitatem sham: & Henrici II. semiluna triplice implicata sub corona: *Donec totum impleat orbem:* manca & vitiosa sunt.

3ti, Res sit aut naturalis aut arte facta: Nam si neutra sit, monstrum erit nec dignum Symbolo. V. c. sol pictus in apice obelisci, sine fine, ad significandam

candam constantiam. Gladius & claves decussati in columnā medio mari innixa. *In fide & justitia Symbol.* Nicol. III. Marchion. Estensis, incepta sunt.

Quæ autem in fabula, uti alatus equus, sylvæ saltientes, Cerberus, signa cœlestia; quæ in signis gentilitatis, uti biceps aquila, Leo volans, bruta exoticas coloribus, figuris aut patergis; apta sunt Symbolis corpora, & inter litteratos probata. V.c. Tribus liliis Gallicis aurcis, in campo cœruleo, subscripsit quidam, non nent. quibus indicabat, fœminas Regni Gallici incapaces. Sol orbem nostrum & planetas illuminans: nec pluribus impar. Symbolum Philippi II. quo significabat, se pluribus Imperiis parem.

4to, *Ad mores vel actiones illustrandas.* Hinc similitudo petenda est à rebus optimis & clarissimis: adeoque vespertilio, bubo, & humilia arte facta non adhibentur inter imagines Symbolicas, quia sordida & inconcinna.

5to, *Nec res sit niminè ignota,* uti plantæ aut animalia Africana vel Americana: Sed è medio sumatur: v.c. Leo ille Samsonis, in cuius ore examiner refedit, de forti dulcedo, Christi benignitatem in cibum animæ sese offerentis significabit. Tela acupicta, ex vulnera pulchrior, Christum patientem amibiliorem hominum generi: concha è cœlesti ore geminam pariens, superum labor est; Mariam, de Spiritu S., Christo fœtam. Candela ardens serviendo aliis, consumor, virum publicæ utilitati studentem significant.

Qua-

**Q**uestio 2. Quid est Lemma vel inscriptio addi solita Symbole? R. Paucæ voces, quibus imaginis cum re significata convenientia indicat. Hæc.

Primi, Nil dicat, quod imago ipsa indicat. Hinc querui ventis agitatae male adscribis: non moveor ventis: quia ventis redundat, & ex pictura sat intelligitur.

au 2dō, Conveniat Lemma simul figuræ & significato: Hinc si alterutri tantum: v. c. non sic timeo leperi; vel hoc: Domine probasti me, auro igne liquato; vel hoc: Dominus mihi adjutor subscriptum lauris Philippi Burgundi clypeo circuminsertis; vitiola Lemmata sunt, quia soli rei significatae quadrant, & moralia sunt duntaxat.

3tio, Hæ particulæ: sic, ità, hic, in hoc, absint; adeo enim accommodata sit metaphora necesse est, ut à litterato facile divinari possit.

4tō, Gratius autem & felicius Lemma est: Primi antithesi, v. c. *cominus* & *Geminus*. Apro; regem domi sorisque tremendum denotanti: nec cesso nec erro, soli, Carolum VI. ubique & semper victorem representanti subscripta fuere. 2dō, Si Lemma sit Hemistichium, aut ex authore celebri desumptus versus: uti stella Veneris Aeneæ navi prælucens; hoc Lemmate: matre Dea monstrante viam.

Quo Symbolo Annæ Austriacæ Galliarum pro filio regentis cura explicabatur. 3tio, Decimun soli & uniuic conveniat figuræ, aut figuræ ità, ut & figurato. V. c. Luna crescens, cum Lemmate: Donec eothum impleat orbem, denotat ambitionem

Turci.

Turci Cæsaris, cuius & insigne est, orbem sibi  
subjicere sipientis.

Columnæ Lemma quidem adjectum, fulcit & ornat;  
quo Symbolo & nomen, & signum gentilitium  
Ducis Columnæ, & ejusdem præclara decora  
unicè & solùm continebantur.

Explicatio tum Symboli tum Lemmatis subje-  
cto carmine fieri solet, Id felicissimum foret, si  
& breve, & ita accommodatum, ut æquè Symbolo  
ac rei significatæ conveniret. V. c. 3) Parelius  
soli oppositus cum Lemmate igne satus. Quo Ig-  
natii continuum actum amoris divini, explico, &  
ejusdem nominis Anagramma.

*Ne mirere sacros, quies vultus hic astutus, ignes;*  
*Nam sum syderei numinis igne satus.*

Quæ omnia tam Soli & Parelio, quam Ignatio  
& amori divino aptè attribuuntur.

Quod si longiori paraphrasi explicare lubet, se-  
catur ea in protasis & Apodosin, & alterâ parte  
figuram, alterâ convenientiam cum actione & mo-  
ribus personæ laudandæ exponet; v. c. rhombo  
chartaceo, ventis pulso & retento, adversis extol-  
litur, describas ex adversa sorte profectum viri  
justi.

*Adversa Rhombus puerilis collitur auræ.*

*Idem, si fuerit blandior aura, cadit.*

*Sapè benigna piis sortis nocet aura secunda.*

*Tutius adversis iurat ad astra notis.*

## ARTICULUS II.

DE

## EMBLEMATE, Sittenbild.

**Q**uid est Emblema?

**R.** Est imago rei intelligentis ad quascunque dotes, aut vitia indolēmque rerum etiam inanimatārum, fortunam, occasionein, tempora, etates, politias, status explicanda, translata: ut Virgo libro & lampade instructa, astante grue vel Gallo gallinaceo, Emblema est Vigilantie. Juvenis capite floribus, herbis redimito & signum geminorum manū præferens significat Majus. Senecio cum alis, falce & clepsydra Tempus. Vir sedens, barbatus, capite juncis cincto & turtito, utnaque inversâ, aquâ defluente, denotat Rhenum. &c.

Emblematis Lemma ratiōnis adjici solet: in Nummis antiquis, Impp. statuis, obeliscis, portandum antibus & Templorum frontibus ingeniosissima & plurima exstant v. c. Virgo alterā corollas alterā premens devictum hostem, aut scutum gerens, additā voce, Victoria.

Dicitur Emblema à Symbolo; Primo materia, quia illud admittit figurās humanās: Symbolum nullas, ne Deotum quidem, ad, illud ex diversis corporib⁹, modò ea apta sint ad idem significandum: V. g. Religio pingitur sedens vultu velato, hāc crucem & librum & calicem, illā thus aut flamminam ferens, comitata Elephante; quæ singula inter se diversissima. 3rdo, fine, quia Emblema generatim docet vel dñdocet; explicat: monet:

Syt.

Symbolum hujus illiusve certas actiones auctores, representat. *Pro*, Inscriptionis modo: nam Emblemati integri sensus aut sententiae adduntur, aut contra vox unica, uti: *Fortuna. Labor omnia vincit improbus.*: secus fieri solet in Symbolis.

## ARTICULUS III. DE LOGOGRAPHO & ÆNIGMATE.

**Q**uid est Logographus? *R.* Quævis obscura ac remota similirudo inter vocem & votis syllabas & rem quampiam. *V. c.* Hæc vox muscatum, sic proponetur divinanda:

*Sume caput, curret: (mus) ventrem conjunge, (musca) volabit,*

*Adde pedes, comedes; (muscatum) & sine ventre bibes. (mustum.)*

Vides primam syllabam vocati *caput*, medianam *ventrem*, tertiam *pedes*.

**Q**uestio 2. Quid est Ænigma? *R.* Prout hodiecum in usu est; nullâ lege aut ordine proponitur: congregantur de re, quæ divinanda proponitur, ejusque partibus omnes remotissimæ metaphoræ, sine illo ordine, aut distinctione, quibus si demum Oedipus aliquis subiunctum significatum repererit, exiguum fructum improbi laboris feret: Addo ex scaligero unum:

### CAMPANA.

*Excubat os nitidum patulo mihi semper hiatus,*

*Sacra ministerio ferrealingua Dei est.*

*Nunquam sponte loquar, nunquam nisi iussa rachebo,*

*Exenterat vocem verbera sola solent.*

# CAPUT VI.

## DE PROLUSIONIBUS ORATORIIS.

### SIVE PROGymNASMatis

Inter alia Rheticæ elementa, quæ Aphthonius Rhetor Illustris literis consignavit, Principem Locum obtinent Thesis, Locus communis, Fabula, Narratio & Chria, quæ hic tractanda veniunt.

## ARTICULUS I.

### DE THESI.

**T**Hesis, latinè positio, est quæstio generalis nullis alligata circumstantiis loci, temporis, personæ: ut, si quæras: an studendum liberalibus artibus?

Econtrà Hypothesis dicitur quæstio particularis, vestita quibusdam circumstantiis, ut, estne mihi studendum Rheticæ?

Maximo usui thesis est oratoribus, qui, ut facilius probent hypothesis, hanc ad thesin revocare consueverunt: id est, quæstionem singularem à

E pro-

propriis circumstantiis, personis, locis, temporibus  
avocant, & ad universi generis vim explicandam  
traducunt. Cùm enim quæstio particularis in ge-  
nerali, tanquam pars in toto, contineatur, quid  
quid de toto probaveris, etiam de parte probari  
necessè est; & quod dicitur de universis, intelli-  
gendum quoque est de singulis. Ut, si virtutis  
studium laudabile est, laudem etiam meretur stu-  
dium mansuetudinis: si non liceat, alterius damno,  
suum augere commodum, nec licebit, furtis &  
fraudibus diteſcere.

Tractatur autem Thesis hunc in modum: post  
breve exordium, aſteruntur Argumenta, quibus  
Thesis probetur: diluuntur objectiones, si necesse  
ſt, ac demum concluditur.

### E X E M P L U M.

Cicero L. 3. offic. Probat, atque exornat hanc  
Thesis; Non licet alterius damno suum augere  
commodum.

**EXORDIUM.** Detrahēre aliquid alteri, & ho-  
minem hominis incommodo suum augere commodum  
magis est contra naturam, quam mors, quam pau-  
perias, quam dolor, quam catera, qua possunt aut  
corpori accidere aut rebus externis.

**ARGUMENTA.** Nam principio tollit convictum  
humanum & Societatem. Si enim sic erimus affecti,  
ne proprius suum quisque emolumentum, spoliet aut  
violenter alterum. disrumpi necesse est eam, que maxi-  
mè est secundum naturam, humani generis Societa-  
tem. Ut, si unumquodque membrum sensum hunc ha-  
beret,

beret, ne posse putares se valere, si proximi membra  
valeitudinem ad se traduxisset, debilitari & interire  
totum corpus necesse esset; sic si unusquisque nostrum  
rapiat ad se commoda aliorum, derrahaturque, quod  
cuique possit, emolumenti sui gratia, societas homi-  
num & communias evertatur necesse est.

Neque vero hoc solum natura, id est, jure gentium,  
sed & legibus populorum, eodem modo constitutum  
est. Hoc enim spectant leges, hoc volunt, incolumenta  
esse civium conjunctionem; quibus parere qui velit,  
nunquam committer, ut alienum appetat, & id, quod  
alteri detraheret, sibi assumat.

**CONCLUSIO.** Ergo unum debet esse omnibus  
propositum, ut eadem sit, utilitas uniuscujusque &  
universorum; quam si ad se quisque rapiat, disso-  
luer omnis humana consociatio.

## ARTICULUS II.

DE

### LOCO COMMUNI.

**L**ocus communis est laus aut vituperium, aut  
eiusmodi sermo, qui pluribus aptari applicari-  
que potest: sic laus virtutis generatim sumptae con-  
venit & applicari potest prudentiae, fortitudini,  
temperantiae: intamia & turpitude proditionis ca-  
dit in omnes proditores.

Vix locus communis differt à Thesi, unde & eo-  
dem modo tractandus est. Sunt tamen, qui The-  
sin ad exornandum, locum communem vero ad pro-  
bandum magis valere asserant.

E 2.

EX.

## EXEMPLUM.

Cicero orationem pro Rabirio exorius est à loco communi, qui cuilibet civi reo, si hujus vita cum salute reip. conjuncta sit, defendendo facile aptari potest.

**E**T si, Quirites! non est mea consuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de causa quemque <sup>orum</sup> defendam, propterea quod cum omnibus civibus, in illa efficiuntur periculis, semper satis justam mihi causam necessariam <sup>ratione</sup> consuetudinis duxi; tamen in hac defensione capitum, fama, foriunarum omnium C. Rabiri proponendaratio videtur esse officii mei: propterea quod, que justissima mihi causa ad hunc defendendum esse mihi visa est, eadem vobis ad absolvendum deber videri.

Afferuntur Argumenta.

Nam mecum amicitia veteritas, cum dignitas hominis, cum ratio humanitatis, cum mea vita perpetua consuerito ad C. Rabirium defendendum est adhortata, cum veritate id studiofissime facerem, salus reip., consulare officium, consulatus deniq; ipse coegerit. Non enim C. Rabirium culpa delicti, non invicia vitaque turpitudo, non denique velires, justa gravesq; inimicitia civium in disserimen capitis vocaverunt: agitur nihil aliud in hac causa, quam ut nullum sit post hac in repub. publicum consilium. &c.

**CONCLUSIO.** Qua cum ita sint, primum quod in tanta dimicazione capitis, fame, foriunaria <sup>umque</sup> omnium fieri necesse est, ab Iove opt. max. ealerisq; Diis Deabusque immortalibus pacem ac veniam peto, precorq; ab iis, ut hodiernum diem, & ad hujus salutem conservandam, & ad remp. constituendam iuxisse patiantur.

AR

## ARTICULUS III.

DE

## F A B U L A.

**Q**uestio I. Quid Fabula & quotuplex?

R. Fabula est sermo fictus, sub fabulo, verborum cortice veritatem continens.

Alia est rationalis, alia moralis, alia mixta: Fabula rationalis est, quâ aliquid ab homine dictum factumve fingitur. Moralis est, si brutis sermonem actusq; affingas. Mixta est, quâ sermo hominem inter & brutum inducitur.

*Exemplum fabulae Rationalis.* præbet Hercules hydræ capitâ demetens; aut Tantalus apud inferos, medius inter undas sitiens, &c.

*Exemplum fabulae moralis.* Lupus cum agno bibendi causâ, ad rivum accederat; cumque agnus staret inferior, lupus superior, hic tamen agnum accusat, quod aquam pedibus turbet. Negat agnus id fieri posse, cum ab ipso lupo aqua descendat. At maledictis, inquit lupus, ante mentes sex me proscidisti. Id quomodo fieri potuit? respondit agnus, cum ante sex menses nondum natus fui. At tuus certè Pater maledixit mihi, subjecit ferox, atque ita correptum devorat.

*Exemplum fabulae mixtae.* Mustela ab homine capta cum mortem effugere cuperet, an! quæso inquit, parce: cur me necare vis? domum tuam muri bus purgo: cui ille; id mei gratiâ non facis, sed ut gulæ tue serrias; nunc ergo morere.

**Q**uestio 2. Quas dotes exigit fabula?  
Ex. Has quatuor: brevitatem, claritatem,  
jucunditatem, & probabilitatem.

**B**revis erit, si nihil afferas, quod sit superfluum,  
**C**laras, si verbis propriis & usitatis rem expri-  
mas, si ordinem loci & temporis serues, si à lon-  
gioribus periodis abstineas, si amphibologiam vi-  
tes, & nimiam personarum multitudinem.

**F**ucunda erit, per colloquia personarum, per ex-  
pectationes animorum, per exitus rerum miros &  
inopinatos, &c.

**P**robabis, si nihil singas à loco, tempore & per-  
sona loquentis aut agentis alienum: si enim bruta  
voce & ratione uterentur, aliter vulpes, aliter  
gallina loqueretur; aliter lupus, aliter agnus ageret.  
Unde si columbam crudelem, accipitrem benignum  
Lupum mitem, agnum ferocem induceres, contrà  
decorum peccares, & fabula probabilitate careret,

**Q**uestio 3. Quomodo traebatur fabula?

Ex. Initium fit ab encomio authoris, qui  
fabulam excogitavit; aut per modum brevis exor-  
dii dicitur quidpiam de vitio aut virtute illa, quæ  
fabulæ scopus est. Hoc Exordium, præfabulatio  
seu Promythion appellatur.

Deinde narratur fabula, quemadmodum res aliæ  
verè gestæ. De quibus arti. seq. dicetur. Denique  
ad mores fabula applicatur, quod assabulatio seu  
Epimythion dicitur.

EX-

## EXEMPLUM.

De lupo & Agno ; ut supra.

PROMYTHION. Quām facile parvique labo-  
ris res sit , virum innocentem à potentioribus inimi-  
cis , per adernatas calumnias opprisci , et non modo  
bonis fortunisq; omnibus , sed etiam virtuosa , per  
erudele Ludibrium , dicitur aitque expoliare , id  
nos veteres insigni Apologo docuerunt.

## NARRATIO FABULÆ.

Ad rivum Agnus venerat , suis levande causa.  
Accurrit & Lupus , magis preda quām potius deside-  
rio , stimulatus fame potius quam siti. Mox agnus  
lacerandi occasionem aucupans , heus , inquit , Aus-  
dacule ! non cessabis mihi aquam turbulentam biben-  
ti facere lutulentis pedibus tuis : cui agnus : qui  
possim quoque , facere , quod quereris , lupe humanis-  
fime ! vix heu ! primoribus labellis rivum arrigi : vix  
extremalibavi undam lingua.

Mentiris , impudens ! turbasti latices : lutulenta  
ad me fluit aqua. Ah ! quid ais ? lupe nobilissime !  
nonne vides à te , qui superiore ad rivum loco stas , de-  
currere liquorem ad meos haustus ? obmutuit his  
Lupus , repulsus tam evidenti ratione ; sed mox ad  
alia se vertens novum crimen comminiscitur : non  
meministi , inquit , proterve ! cùm ante sex menses  
mal edicta in me ingereres , ostabuli fenestra . minas  
intendens transunis bona verba . heros sylvarum in-  
ctyle ! non coherent , que dicas : verbo fit venia : nam  
qui ires tanquam menses sum natus , qui potui ante sex

menses tibi maledicere & aequi perinde est, inquit Lupus, an mihi tu ruusve Pater maledixerit: ille certè in me convicium conject non semel: aquum est, parentis pœnas inimicus luis natus. Quo dicto in illum insiluit, correptumq; dentibus crudelissime devorat

Epimythion. En! quam facilis labor, innocentem stractis calumniis perdere! quam multi etiam nunc agnis innocentibus similes cedunt in prædam iniquissimis hominibus, ut voracibus lupis! spolianzur bonis, famam exuuntur, & si non vitam, saltem vita commodis privantur.

### EXEMPLUM ALIUD.

#### De corvo & vulpe.

Promythion. Tum vel maximè illudi inanis gloriæ venatores, cum laudantur, & patulas aures adulantium vocibus præbent, sequenti fabula ostenditur.

**Fabula.** Sedebat corvus in excelsi arboris ramo cælum, quem rapuerat, pari aviditate ac voluptate comedens. Hunc vidit vulpes & invidit; ac lingua sibi lingens rostrum, jam cælum devorabat oculis; spes tamen optato potiundi cibo appetet nulla, quamvis usque & usque arborem sollicitè circumeat, versetque se in omnem partem. Ad solitas igitur se vertit artes, dejectoq; humi tergo, collum ac rostrum erigit, & aures simul arrigit, obtutu in corvum defixo. Advertit eorū speculantem; & crocitans, quid aspectas, inquit, versipellis? Te ipsum, responderet vulpes; te intueor corve mi bellissime! nam Hercule tuarum me pen-

narum

narunt splendor in admirationem rapit: nihil equidem memini me vidisse pulchrius. O! si quantum præcedis plumarum nitore aves cæteras, tantum præires voce, ne tu absolutus fores numeris omnibus, nec ulla esset volucris usque adeò temeraria, quæ auderet tecum de palma contendere. **Corvus** mirifice delectatus commemoratione illâ laudum suarum, agit primùm, ut decuit, vulpi grates; se tamen non destituti voce asperit: & dabo, inquit, specimen: simulque cantilenam occinit, ac calcum simul amittit. Quem vulpes artipiens fugit, corvo turpiter illuso; qui cantu in gemitum verso, stoliditatem cœpit suam deplorare.

**Epimythion.** Sic capiuntur vanæ laudis aucupes, effundunt bona & rem familiarem dilapidant, dum irani gloriae avidius inhiant. **Pom.**

### EXEMPLA ALIA EX PHÆDRO

Cujus in versiculis lucet nativus quidam latini sermonis lepos, aureo Augusti sæculo dignissimus.

### LUPUS & CANIS

Quàm dulcis sit libertas, breviter proloquar.

**C**anis perpasto macie confectus Lupus  
Fortè occurrit: Salutantes dein invicem  
Ut restiterunt: unde sic, quofo, nites?  
Aut quo cibo ianum fecisti corporis?  
Ego, qui sum longè fortior, pereo fame.  
Canis simplicuer: Eadem est conditio tibi,  
prastare Domino si par officium potes.

E s

Quod

Quod? inquit ille; Custos ut sis Liminis,  
 A furibus tuearis & noctu domum.  
 Ego vero sum paratus. Nunc patior nubes  
 Imbrésque, in sylvis asperam vitam trahens.  
 Quantò est facilius mihi sub tecto vivere.  
 Et otiosum largo satiari cibo?  
 Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit.  
 Lupus à catenā collum detritum canis.  
 Unde hoc amice? Nihil est. Dic, quæsa tamen.  
 Quia video acer, alligant me interdiu,  
 Luce ut quiescam, & vigilem cum nox venerit.  
 Crepusculo soluisse, quā visum est, vagor:  
 Adferitur ulterò panis: de mensa suā  
 Dat ossa Dominus: frustra jactat familia,  
 Et quod fastidit quisque pulmentarium.  
 Sic sine labore venter impletur meus.  
 Age, si quo est abire animus, est licentia?  
 Non plane est inquit. Fruere, qualandas, canis!  
 Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

## CALVUS &amp; MUSCA.

*Calvi momordit Musca caput.*

Quam opprimere captans, alapam sibi duxit gravem  
 Tunc illa irridens: Punctum volucris parvus  
 Voluisti morte uelisci, quid facies tibi  
 Injuria, eam qui dederis consumeliam?  
 Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,  
 Quia non fuisse mentem ladendi scio:  
 Sed te contempti generis animal improbum  
 Qua delectaris bibere humanum sanguinem,  
 Optem necare vel majore commode

*Hoc argumentum veniam magne dari docet,*

*Quæ*

Qui casu peccat, quām qui consilio est nocens.  
Illum esse quāvis pēnā dignum judico.

De lusu & severitate.

Puerorum in turbā quidam ludentem Atticus  
 Æsopum nucibus cum vidisset, restitit,  
 Et quasi delirum visit: quod sensit simul  
 Derisor potius, quām deridendus senex,  
 Arcum retensum posuit in media viâ:  
 Heus, inquit, sapiens! expedi, quod fecerim.  
 Concurrit populus. Ille se torquet diu,  
 Nec questionis posita causam intelligit.  
 Novissimè succumbit. Tum vīctor Æsopus,  
 Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris;  
 At si laxaris, cum voles, erit utilis.  
 Sic lusus animo debet aliquando dari,  
 Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

### ASINUS & LEO VENANTES.

Virutis expers, verbis jactans Gloriam,  
 Ignotos fallit; notis est derisi.

Venari Asello comite cum vellet Leo  
 Contexit illum frutice, & admonuit simul  
 Ut insuetā voce terreat feras;  
 Fugientes ipse ut exciperet. Hic auriculas  
 Clamore subito tollit totis viribus,  
 Nevōque turbat bestias miraculo:  
 Quæ dum paventes exitus notos petunt,  
 Leonis adficiuntur horrendo imperio.  
 Qui postquam cæde fessus est, Asinum evocat,  
 Jubētque vocem premere: iunc ille insolens;  
 Qualis tibi videtur opera hæc vocis mea?  
 Insignis, inquit, sic, ut nisi nossem tuum  
 Animum genūisque, simili fuissim in metu.

ARTI-

## ARTICULUS IV.

DE  
NARRATIONE.

**Q**uestio 1. Quid Narratio & quotuplex?

**R.** Est Expositio rei , quæ gesta est , aut geri potuit. Unde differt à fabula.

Alia est Historica , quâ res nitidè ac apertè exponitur : Alia oratoria , quæ stylo sublimiore & variis figurarum ornamentis perficitur : Hanc pueræ nobili gemmis fulgenti , illam Rusticæ nitido habitu indutæ rectè comparaveris.

Utraque Narratio amat brevitatem , claritatem , probabilitatem & suavitatem , uti de fabula dictum.

**Q**uestio 2. Quæ sunt peculiaria Narrationis ornamenta ? **R.** Sunt sequentia :

I. Tempus præsens pro præterito eleganter usurpatur. Ut , amici invitaniur ad epulas ; veniunt ; discubuntur ; fit sermo familiaris , bibitur majoribus poculis , hostes bortatur , &c.

II. Plures infinitivi congeruntur , suppresso verbo , à quo reguntur : voces etiam aliquæ retinentur , quæ ex aliis satis intelliguntur.

Cicero in Verrem , qui Regi Antiocho candelabrum gemmeum abstulerat. Rex primò nihil metuere , nihil suspicari . (a) Dies unus , alter , plures , (b) non refert . Tum mittit rex ad ipsum , ut reddas

reddat. Fubet iste postridie ad se reverti. Mirum illi videri. (c) Mutit iterum: non redditur.

A. intellige, poterat. B. abeunt. C. cœpit.

III. Verba, ait, inquit, & similia non statim initio, sed post unam alteram ve vocem ponuntur.

Ut, *Censesne*, inquit filio mater, tantum dedecus me latram diutius? quid enim commisi mali, respondet filius? At mater, O impudentiam! ait; etiam queris, quid mali feceris? furcifer! Hic filius exasperatus, méne, ait, mater! habes famuli loco, cui illa; non famuli, sed uiliissimi mancipii.

IV. Nobiliores figuræ & elegantes periodi mirum in modum illustrant orationem narrationem. Ejusmodi figuræ sunt. *Hypotiposis*, ut, inflamus irâ egreditur domo, ardent oculi; emicat ab ore furor, horrent capilli, &c.

DUBITATIO. Quid agat misera? ad quem confugiat! cuius opem implorei? Patris? in vincula conjectus est: Fratrum? abducti sunt in servitutem; Propinquorum? diffugere omnes.

SUSTENTATIO. Quid deinde factum censem? victam fuisse promissi puellam? nullo modo: cessisse minis? non cessit. Quid igitur facere potuit columba inter unguis accipitris? dicam, audite: excisam sibi linguam in os impudici expulit; quo ille telo iactus victusque cessit loco.

COMMUNICATIO. Quæro à vobis, qui hæc auditis, si vestræ res in eo essent loco, quid vobis agendum esse censeretis? fugam arriperem, in quiet aliquis, &c.

EXCLAMATIO. Filiam exturbavit nuptiali thalamo, & genero nupsit. O mulieris scelus incredibile!

bile! ô libidinem inauditam! non timuisse hominem famam, non dedecus aeternum, non furiarum ardentes faces.

EXEMPLUM NARRATIONIS  
historicæ ex Cicerone L. 3. offic.

**P**ythius pescatores ad se convocavit, & ab his petivit, ut ante tuos horzulos postridie pescarentur; dixique, quide eos facere veller. Ad cenam tempore venit Canus: opipare à Pythio apparatum convivium: Cymbarum ante oculos multitudo: pro se quisque, quod ceverat, afferebat: ante pedes yihui, pesces abjiciebantur. Tum Canus, quæso, inquit, quid est hoc, Pythi! tantumne piscium? tantumne cymbarum? & ille, quod mirum, inquit; hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium: hic aquatio; hac villa isti carere non possunt. Incensus Canus cupiditate contendit à Pythio, ut venderet. Gravatae ille primò; quid multa: imperat: emit homo cupidus & locuplescari. quanti Pythius voluit. Invitat Canus postridie familiares suos: venit ipse maturè: Scalmum nullum videt: querit ex proximo vicino, num feria quædam pescatorum essent, quod eos nullos videat? nulla, quod sciām, inquit ille: sed hic pescari nulli solent, itaque heri mirabar. Stomachari Canus; querere, quid rei esset agere se in omnem partem; suspendi animo. Sed quid faceret? Non dum enim Aquilius collega & familiaris meu protulerat de dolo malo formulas. Ergo & Pythius & omnes aliud agentes, aliud simulantes; improbi, malitiosi sunt.

## EXEMPLUM NARRATIONIS.

*Historicæ ex Stradæ prolus.*

Xpugnatâ jam Nicosiâ , urbe totius Cypri opulentissimâ , & sexaginta hominum millibus frequente , Mustaphus rerum successu ferox ubi reliquias prædabundo militi donat. Desiderati dicuntur in ea cæde verius quam pugna , suprà quindecim millia Cypriorum ; capti ad viginti millia . Ex manubiis atque omni prædâ Mustapho pretiosa quæque servantur. Ille navigia duo & ingentem myoparonem spoliis onerat , imprimis verò egredios formâ pueros puellasque totâ ferè Insulâ conquistas myoparoni imponit , traditque omnia quadrungentis prætorianis militibus Selimo Imperatori comportanda. Vehebantur inter captivas cyprias puella nobilis , quæ secum reputans , quid evenisset patriæ ac suis ; quid sibi in Selimi potestate eventurum esset , magnum quid animo agitare cœpit. Et jam è portu ad duo milliaria processerant , cum milite nitratum pulvrem extrahente ad usum tormentorum , intervenit inibi puella cum lumine. Enim verò næcta patrandi facinoris opportunitatem , ardente in animo flammâ , respectans modò patriam , modò cœlum , proprius repente prosilit , ac deliberatâ morte ferocior , intrâ ea receptacula ignem jacit. Emicuit illicè feralis flamma , magnoque fragore avulsa à sedibus suis tabulata , atque in altum excussa rapuere simul eadem vi semiusta hominum corpora. Cæteri aut collisi invicem aut consanguinati , aut incensi exceptiq; undis expitavere

vêre. Nec se intrâ Myoparonem continuit clades; Fragmentis hominum tabularumque ex alto decidentibus, corripuit ignis proxima navigia, horaq; unius spatio, quantum erat conquiritum ioto regno prædæ hominumq; quatuor exceptis, ex quibus rei series deinde cognita, in oculis Insulæ, Mustapho ipso inspectante, consumptum est.

## NARRATIO ORATORIA ejusdem facinoris.

**J**am disjectis mœnibus ac propugnaculis in Nicosiam urbem Othomannicus se fuderat exercitus; cum Mustaphus Bassa, vir ingenio ferox, scelere incensus, Victoria tumens atque odio in Christianos inflammatu civium domos ac fortunas militum prædæ atque libidini indulxit. Diripitur urbs Insulæ ac regni caput, deliciarum sedes & quondam hospitium gratiarum. Cæduntur obvii cives & incolæ, fora ac plateæ cadaveribus opplicantur: non ætati, non sexui parcitur. Rivi sanguinis totâ urbe decurrunt: Sacra profanaque omnia rapinis, cædibus, ludibriis vexantur, violentur, conculcantur. Ipse interea Mustaphus quantum erat totâ urbe ac regno gemmarum, quantum auri argentiq; cum cælati tum rufis; vestem præterea opere vario, ac signa complura; demum præciuos quosque captivorum, & præstantium formâ puellarum puerorumque greges duabus onerariis ac magno Myoparoni impositos Selymo Imperatori Byzantium dono mittit.

Quis verbis explicet & narrando percenseat  
tristes

tristes ejulatus; ac gemitus captivorum, ac præcipue nobilium Virginum, cum navigia spoliis onusta è portu solverent? ripæ ac littora omnia, atque ipsæ maris undæ lacrimantium vocibus ac singulis personabant. Una tamen puellarum reliquis constantior, & in communi luctu infractum gerens animum, grande quipiam moliri videbatur.

Ad duo milliaria jam naves à portu discesserant, cùm se obtulit occasio pulcherrimi facinoris, quod omnium sæculorum memoria laudibusque celebrabitur. Quid igitur puella? an in undas se præcipitem dedit, satius esse rata, incorruptum corpus marinis belluis, quàm pudicitiam barbaris tradere? an veterem Luctetiam imitata, adacto in pectus pugione, sibi vitam eripuit? majora cogitate; exspectate facinus, quàm vultis palmare & heroicum; vincam exspectationem vestram. Clasiarius miles vas nitrati pulveris aperuerat, cum virgo faciem manu gestans præteriret. Sensit illa statim succendi sibi animum submissâ à cælo flammâ; neque enim aliunde crediderim tam generosum pectus potuisse inardescere. Nunc, nunc tempus est, ita illa secum, quo ruinam patriæ & tuorum necem ulciscâre, uno momento te & de meretricio dedecore vindicabis, & defensæ pudicitiae exemplum dabis.

Ergò militi facta propior puella, matumq; subitò protendens, O ausum incredibilem! O mentem cælo superiorem! O factum nullis sæculis visum, nunquam auditum! de quo nulla ætas conticescit; manum, inquam, protendens, subitò faciem ardenter in Sulphureum pulverem injicit.

Fit horribilis fragor, & tonitru majus, quam  
verbis dici aut animo cogitari possit. Suis evul-  
sa sedibus tabulata in altum evibrantur; ardent  
funes nautici, & accensa carbasa cum fœtenti fu-  
mo latè flamas spargunt: multi semiusto corpo-  
re quasi è muralibus tormentis emissi in aërem  
volant: vapor suffocati aut fumantibus tabulis  
impliciti pereunt multi. Denique navis tota ig-  
nium vi in partes dissilit ac dissolvitur. Nec se con-  
tinuit intra Myoparonem feralis clades; sed trans-  
missio pariter igne in proximas onerarias, grassante  
incendio per tabulata pice illita, ingentes illæ ma-  
chinæ laxatis compagibus, ac distractis toto aquo-  
re fragmentis conciderunt. Atque in hunc mo-  
dum opes tot annorum spatio collectæ, ac cypriæ  
flos nobilitatis, prospectantibus è Nicosiensi littore  
civibus, stragémque suorum tanquam in scena  
lamentantibus, voraci inter undas incendio celer-  
rimè deflagrârunt. Ita fore idem Strada & Haut.

## NARRATIO ALIA ORATORIA.

De potatore Belgâ,

**M**atrona prudens & honesta maritum habuit  
in Belgio, cum vitiis infamem, tum vero  
temulentiam insignem. Quid non egit mulier corda-  
ta, vecordem ut virum ad Sanitatem revocaret?  
quas non intendit machinas? quam industriam non  
adhibuit? sed nimis corroborata erat longo usu  
insana perpetandi cupiditas, altiorésque egerat in  
eius animo radices turpissima consuetudo, quam ut  
evelli ratione ullâ aut pudore posset.

Con-

Convolabat quotidie, simul ac evigilaret, in  
popinas. Quoties Marsupio non sufficiente gulæ,  
cauponâ exiit expalliatus, atque etiam penè exossa-  
tus pugnâs prebrisque? quoties inter redeundum  
(si hoc est redire, passu labi & relabi, in tabernas  
ac parietes impingere) prosecuta est illum caterva  
puerorum sibilis, conviciis, luto? sed enim accep-  
tas foris injurias ulcisci intus solitus, ut primum  
attinebat limen ædium, horrendum, illico vocife-  
rari, adessent famuli, adesset uxor.

Illi contrâ latebras aucupari, delitescere, trepi-  
dere, si quem occupâset incautum, sternebat hu-  
mi, & quâ pugno, quâ fuste diris modis pulsabat.  
Quid ageret materfamilias? quo se verteret? flebit?  
obsecrabit? irascetur? minabitur? Horum nihil  
omisit; verùm frustra suêre omnia. Quid ergò fa-  
ciet? jacebat ille aliquando vino obrutus, oppres-  
sus sopore, quem nullus tonitruî fragor excuteret.  
Occasionem arripiens mulier accedit, ac manum  
viri utramque primùm, tum pedes stringit fune  
valido; sudario obnubit caput, torquâ circum-  
volvit corpus sepulchrali linteo. Tum deinde ster-  
tentem parato collocat in feretro, & hinc & inde  
tædas ferales accendit. Ilicet mortuum conclamat  
conjugem: lachrymæ, ut solent fæminis, jussæ  
fluunt ubertim, & sinum rigant. Post hæc capila-  
los vellens ac vocem tollens flebilem in modum;  
mi Marite! inquit, heu! mi Marite! sic me orbam  
& affliqam æternum deseris? siccine repentinâ mor-  
te raptus obiisti? Confluit interea otanis vicinia;  
egram solantur, nec desunt, qui bonas preces  
fundant pro defuncto proni in genua.

At Ecce, dum hi lugent, illi plorant, miserantur alii, excitatus inconditis clamoribus nebulō ronchum ingentem imò emittit pectore; tum moat caput, tibiasq; vincas agitat. Hic omnes stupere, exclamare, rediisse in corpus animum, defunctum revixisse. Uxor, quæ vix tenebat risum inter lacrymas, vivum lugens, quem vellet mortuum, vero dolore in fictum gaudium verso, ad se retrum accedens, ô mi vir, exclamat quām maximā voce potest. Audit ille recluditque oculos, pérque linteum lucem videns malignam, brachia & pedes gravi nodo revinctos sentit. Quid cogitasse arbitramini vivum cadaver, plorantes, gementes, ululant audiens, funebreniq; apparatum intuens? propè mortuum è vivo fecit horror stupori mixtus: trepidat se tantillum movere, tacitusque audit lugentem conjugem. Siccine, inquietabat versipellis, æternis ignibus addictus es, marite optimus?

O! Si ante mortem expiasses animum totam insanis compotationibus inquinatum! hæc immotus audit miser, tandemq; susurro semi mortuo succlamat: Fingit uxor metum gaudio mixtum, &, vivis? exclamat; carum caput! vivis? vivo, inquit ille, redux è lethi & tartari faucibus. Reduxne ab orco? Redux, ô cara conjux! expedi, ah! quæso, viuila expedi. Vix funestis extricarat fasciis brachia, & sudario caput, cum ille ad astra tendens manus vovet alta voce solempne votum, per omnem vitam vinum se nunquam ne primoribus quidem labris libaturum,

Et stetit promissis, siccām imposterum vitam ad feram usque mortem exigens.

ARTI-

## ARTICULUS V.

DE  
CHRIA.

**Q**uestio 1. Quid est Chria & quotuplex?

**R**e. Chria est utilis quædam aut dicti, aut facti, aut utriusque expositio, certis quibusdam capitibus comprehensa.

Alia est activa, alia verbalis, alia mixta.

*Chria activa est*, quæ factum aliquod exponit atque exornat. *Verbalis*, quæ prudenter ab aliquo dicta explicat; *mixta*, quæ dicta & facta illustrat.

**Q**uestio 2. Quot sunt partes, ex quibus Chria componitur? **R**e. Sunt octo, quamvis necesse non sit, omnes in singulis Chriis adhiberi: Encomium, Paraphrasis, Causa, Contrarium, Simile, Exemplum, Testimonium, Epilogus.

Etenim inchoatur Chria à laude illius (etiam subinde à vituperio) qui author est dicti vel facti. Deinde fusiūs explicatur dictum factūmve. Tum assertur causa, cur dictum bene, aut factum; post hæc, fit probatio à rebus contrariis, à similitudine, ab Exemplo veterum, & tandem concluditur, dictum factūmve laude dignum esse.

**Q**uestio 3. Cum in Encomiis major difficultas sit, quomodo Tyro in iis juvabitur?

**R**e. Subsidium dabunt periodi & figuræ illustres, quas in sequentibus exemplis expressas habe.

## EXEMPLA ENCOMIORUM.

*Laud S. Ambrosii per interrogationem.*

Quæ lingua adeò soluta & eloquens, quæ tam diserta volubilisq; dicendi facultas, quod orationis genus tam expolitum, perfectumq; vel minimam laudum particulam aut verbis exequatur, aut enumerando recenseat, quas Ambrosius illustri sanctimoniaz famâ ingeniique magnitudine sibi comparavit? deficiunt me certè verba, quoties examia ipsius, quæ transmisit ad posteros, eruditio-  
nis ornamenta pervolvens, sententiarumque quas, cùm viveret, pleno profudit ore, varietatem ma-  
jestatemque attentâ cogitatione perpendo. Atta-  
men omnium illa mibi semper est vita longè p̄a-  
clarissima, quam his verbis adumbravit: *Luxuria  
seminarium & origo est omnium vitiorum.*

## LAUS SALLUSTII HISTORICI

*Per Exclamationem.*

Quoties Sallustii historicorum omnium meo quidem judicio facile Principis, dignos æter-  
nâ luce commentarios evolvo manibus, oculis perlustro, mente animoq; considero, continere me non possum, quin admirabundus exclamem:  
O virum omnium litterarum laude celebrandum!  
O sempiternâ dignum commendatione ingenium!  
quām prudenter digessit omnia! quām graviter cūm cetera, tūm verò hanc sententiam protulit!  
*Majorum gloria posteris quasi lumen est.*

LAUS

**LAUS QUINTILIANI.**  
*Per Repetitionem.*

**N**on sine causa magnus ille sapientissimusq; dea  
claimator & Rhetorum Magister Quintilia-  
nus ob ingenium eruditionemque celebratur.  
Quis enim illo in laudando comptior? quis in  
vituperando acrior? quis subtilior in edifferendo?  
quis ornatior in verbis? quis argutior in sententiis?  
mihi verò acutior nunquam visus est, quām cùm  
dixit, *satis divisiarum esse, nihil velle amplius.*

**LAUS THEOPHRASTI.**  
*Per Apostrophen.*

**Q**uem ad finem illud semper in ore habebas,  
divinâ vir facundiâ Theophraste! Magni Ma-  
gistri Aristotelis Discipule maxime! qui ad eam  
dicendi laudem effloruisti, ut meritò à Cicerone  
Philosophorum eruditissimus & elegantissimus fue-  
ris appellatus? quem, inquam, ad finem illud  
semper in ore habebas illustre dictum; *sumptus*  
*preciosissimos, tempus.*

**LAUS DEMOSTHENIS.**  
*Per Sustentationem.*

**D**Oleo, inquietabat aliquando Demosthenes.  
Quid doles, eloquentiæ parens & artifex,  
qui omnes, quotquot ante vel post te floruere,  
dicendi gloriâ, orationis vi, sublimitate, compo-

sitione superasti ! quid doles , inquam ? Quod votis tuis fortuna parum obsecundet? quod morbus te aliquis aut ægritudo mentis invaserit ? *Dilego; ante lucanæ opificum industria sapè vicitus sum;* O contentionem admirabilem ! dolet orator ille præstantissimus , quod major sit , quam sua , opificum industria , &c.

**Q**uestio 4. Quâ arte PARAPHRASIS dilatabitur?  
R<sup>a</sup>. Singula verba sententiæ perpendenda & enucleanda sunt ; ut materiam fuggerant.

## EXEMPLUM PRIMUM.

### SENTENTIA

*Amicorum omnia sunt communia.*

**E**xpende primò , quinam sint veri Amici : nempe ii , qui non tantum in prosperis , sed etiam adversis benevolos lese exhibit ; qui non ore & verbis , sed recipi & factis diligunt , &c.

Dein examina , quænam isthæc omnia , quæ verus amicus amico communicat. Reperies esse consilia , arcana cordis , opes , fortunas , honorem , domum , gaudia , mæniores & multa alia ; quæ copiosa materiam suppeditabunt.

## EXEMPLUM ALTERUM.

### SENTENTIA

*Audaces fortuna juvat.*

**AUDACES.** Qui sunt audaces ? sunt qui periculis non terrentur ; qui nec vulnera nec mortem perhorrescunt ; quos nullus timor dejicit , nullus casus.

casus remoratur; qui se primi in confertos hostium cuneos immittunt; qui vulnerati non recedunt loco &c. Hos fortuna juvat.

FORTUNA. Dea illa tametsi cæca, inconstans & perfida; quæ, ut ait Lyricorum vatum Princeps, Iudum insolentem ludere pertinax, hæc tamen juvat illos.

JUVAT. Id est, armis invictos & in periculis securos reddit: contra omnes hostium impetus eos protegit, defendit, tuetur: eis iter ad victoriæ sternit, Palmas, coronas, & immortalis gloriæ triumphos adornat.

## EXEMPLUM TERTIUM.

### SENTENTIA

*Donec eris felix, multos numerabis amicos.*

*Donec eris felix.* Id est, dum fortunâ uteris prosperâ, dum amplas opes possidebis, dum in honoribus ac dignitatibus eris, dum è votis fluent omnia.

*Multos numerabis amicos.*

Id est, innumeros invenies, qui se tibi addicatos obstrictosque profiteantur; qui omni officiorum genere te prosequantur: qui te palam laudent ac prædicent, euntem deducant, honorificis verbis excipient, salutent, amplexentur, venerentur, &c. Hæc materia bene dirigenda, efferenda, & figuris exornanda est.

**Q**uestio 5. Quibus transitionibus partes Chriæ connectendæ sunt? q. Servire poterunt sequentes:

### TRANSITIONES.

#### *Ab Encomio ad Paraphrasim.*

Quid amabò præclarus, quid ab homine sapiensissimo dici potuit illustrius? *ardua est ad virum via.* Fateor, expendamus verba singula, &c.

O factum insigne! ô dictum omni encomio sublimius! quid significare voluisti. *vir eruditissimus* &c. Atque ita est profectio.

Audistis viri clarissimi sententiam; nunc latens in ea mysterium evolvamus. Docere nos meo quidem judicio voluit, &c.

### A PARAPHRASI AD CAUSAM.

**S**i hujus rei causam ex me queras; dicam: ardua idcirco ac difficultis est via virtutis, quod, &c.

Rogas, undenam hac difficultas oriatur? non alia assignari potior causa potest, quam quod, &c.

Neque mirum est, virtutis iter tam difficile esse.

Nam, &c.

Atque hac istius difficultatis mihi videtur esse ratio; quod, &c.

Miramini, video, dicti novitatem: at causam percipite.

### A CAUSA AD CONTRARIUM.

**C**ontra vero quid facilius, quam labi in vitia?

Nullum è contrario expeditius & facilius iter

iter est, quām quod ad vitia dicit, & præcipitat hominem.

Rem pleniūs intelligetis, si contraria contrariis opponantur. Quid enim? an non, &c.

Atque utinam & quē saltem difficultis & salebrosa esset ad vitium via! verūm, &c.

At quām difficultis ad virtutem via est, tam jucundum & facile est iter ad vitia. Etenim &c.

### A CONTRARIO AD SIMILE.

**C**ertissima hæc veritas eleganti similitudine exornari atque illustrari potest. Nam sicut, &c.

Vide, quantâ curâ, quantâ contentione imago pingitur, quæ tamen momento lacerari deleriqs potest; idem accidit, &c.

Quemadmodum enim, &c. ita etiam.

Quid miramini? an non idem, quod aliis in rebus accidit, etiam hīc evenire solet?

### A SIMILI AD EXEMPLUM.

**V**ultis nunc, ut exemplo rem stabiliam? aspice, &c.

Testes provoco omnes illos, qui, &c.

Quod verbis hactenus demonstravi, exemplis confirmo. Annon, &c.

Quid similitudinibus opus est, ubi exempla loquuntur?

Expertis sunt difficultatem virtutis omnes heroes illi, qui, &c.

## AB EXEMPLO AD TESTIMONIUM.

**S**ed quid plura dispuo? audiamus, quām p̄zclarē eandem sententiam NN. testimonio suo comprobātit.

Neque verò aliud innuere voluit NN. dum dixit, &c.

Audite, quid in rem nostram contulerit NN.

Hoc ipsum & tu NN. declarare voluisti, cum diceres, &c.

Annon etiam sole meridiano clariora sunt verba Christi dicentis, &c.

## A TESTIMONIO AD EPILOGUM.

**Q**Uæ cum ita sint, quis insiciari ausit, &c.

Itaque fateamur necesse est, nihil verius dici potuisse, quām quòd, &c.

Eritne adhuc aliquis, qui in dubium vocare ausit, quòd, &c.

Imponamus igitur finem dictioni, atque uno omnibus ore fateamur, bene dixisse NN.

Sed tempus est, ut institutæ orationis exitum expediamus, iisdemq; verbis, quibus initium dicendi fecimus, finem quoque dicendi faciamus.

## EXEMPLUM CHRIÆ VERBALIS.

## SENTENTIA SALOMONIS.

Stultorum infinitus est numerus;

**E**NCOMIUM. Sapienter quidem Illustrissimus Ille Rex, qui ob eximiam ac protè divinam, quā mortales universos superavit, laudem sapientia, clariſſi-

rissimum sapientis Nonen adepsus est, & proprium sibi quodammodo vindicavit; sapienter, inquam, Salomon dixit scripsiq; plurima: at nihil magis consentaneum rationi ac veritati congruum prolocutus est, quam cum stoliditatem hominum secum ipse reputans, divino incutitus spiritu, afflatiusque calasti numine, stultorum infinitum esse numerum pronun-  
ciavit.

**PARAPHRASIS.** Ita est profecto: mortalium plerique (absit verbo inuidia) eō graviori sapè labo-  
rant morbo dementia, quōd sibi plus caceris videntur sapere. Quōd enim ibis, ero te, ubi non offendas insanos? Non appellabuntur insani, qui honestati tur-  
piudinem, libidinem moderationi, virtuti vitium,  
calo terram, caducabona veris & sempiternis ante-  
ponunt: non despere dicam, qui relietis celestibus bea-  
ta vita gaudiis, obscēnas voluptates conjectantur?  
non stulos vocem, qui in momentanea delectatione a-  
ternos sibi parati crudatus, ac proculcatā ratione  
vitam bellūs ducunt simillimam? ac qui his toius  
mundus plenus est.

**CAUSA.** Nimirum vita sua ducēam paucissimi se-  
quuntur rationem; quicum deberet clivum mode-  
rari, & vitā cursum regere, exurbata per suum mo-  
scelus & contumeliam, in sentina vitiorum demersa  
jacet; dum in ejus locum sufficta cupiditas irat ac  
gubernaculum, & furenibus animi perturbationi-  
bus, ut fluctibus insanis, hominem expanit, &c.

**CONTRARIUM.** Apparent interea tot inter  
insanentes naufragos rari sapientes, nantes in ea-  
stissimo

etissimo procellosoa hujus vita oceano. Unus Ulysses numeratur, & unus Orpheus, qui sirenū ferale cantum non pollicansur in fraudem; qui circuis illecebris non deſciantur de statu mentis; qui scyllas & Charybdes innoxias praetervehantur.

### *Nullum enim infinitus est numerus*

SIMILE. Cirius projecto fluctus, quos tempestas ciere solet, aut arborum folia, que frigus hibernale decuit, aut lapillos, quos in littoribus alluvunt unda, quam ex fortes rationis ac prudenter homines numerabis. Ita enim natura comparatum videntur, ut praelatae quaque rara sint, vestissima passim occurran: sic ignobilibus saxis & silicibus loca omnia certis obsita, &c.

EXEMPLUM. Neque jam primū infiniti esse cœperunt maledicti: ab ipsis incunabilis eorum numerus eravit in immensum, & ita crevit, ut ex iunctis hominibus unus duntaxat inventus fuerit. Nostrus, qui divino suffragio sapientis laudem adcepit fil.

TESTIMONIUM. Id videras, vates sanctissime! Salomonis sapientissimi multò sapientior parens! cum perspecta sapientum paucitate, exclamares azonitus aë stupens, omnes declinaverunt: non est intelligens, non est usque ad unum.

EPILOGUS. Qua si vera sum, ut verissima esse nemo sanus dubitabit, sapientissimè Salomonem assertus. Se falso dū est, scilicet hominum tantum esse ubique gentium multis in dīnem, ut eos numerare nemo possit. Candid.

EXEM-

## EXEMPLUM CHRIÆ ACTIVÆ.

*S. Franciscus non verbis sed factis Concionat.*

**E**XORDIUM. Silete oratores ! favete linguis  
Rhetores ! sacri concionatores novum concio-  
natorem auscultate ! Franciscus ille religiosæ pau-  
pertatis assertor inclytus , ille , tam expers littera-  
rum & eruditæ facundiz , quæm virtutum dives ,  
concionaturus prodit è cellula : adeste animis om-  
nes & attendite .

**P**ARAPRASIS. Imò verò intendite potius ocu-  
los & spicite : Usus aurium nullus futurus est in  
hac concione , quippe quæ silentio , non voce ;  
factis non verbis ; exemplo , non sermone fieri de-  
bet . Effundunt se obviam viri & fœminæ , turma-  
tumque ad audiendum [iterum hic erro] ad viden-  
dum , inquam , Franciscum convolant ; Modestiam  
suspiciunt incidentis ; squalorem habitus obser-  
vant ; patientiam demirantur ; sanctimoniam pre-  
digant . Sed quid hæc singulatim commemoro ?  
ad studium virtutis accendantur omnes ; ad saluta-  
rem Dei metum æternæq; vitæ cogitationem ex-  
citantur aspectu Francisci . Tum ad illum conver-  
sus comes , quò te , mi Pater ! agis ? inquit , ubi illa  
concio , quam te in egressu habiturum esse dixeras ?  
cui ille , concionem peregrimus ; non voce , sed ex-  
emplo peroravimus .

**C**AUSA. O concionem præclarissimam ! O  
tacitam simûlque eloquentissimam Orationem !  
perorâsti , Francisce ! perorâsti eō sanè feliciūs ,  
quò validior ad expugnandos animos machina sunt

exempla quām præcepta ; his videlicet illustra-  
tu t̄ humana mens ; illis incenditur : hæc vocant,  
illa trahunt : hæc denique suadent , illa persua-  
dent . Vis , ô quicunque oratoriam profiteris ar-  
tem , persuadere ? vis arduam virtutis viam com-  
planare ? præi exemplo : sponte sequentur alii . Fa-  
ctis hortare prius , quām præceptionibus : cælestem  
virtutis formam ne verbis dépinge tantum (vix  
enim auribus quisquam credit) sed eam morib⁹  
exprime & velut oculis objice ; statimq; spectan-  
tium animos ejus amore succendes .

**CONTRARIUM.** At vos , oratores vanissimi !  
qui eloquenti lenocinio nihil aliud aucupatini ,  
ptæter auram popularem , amabo , dicite , qui mo-  
tus animorum , quæ immutationes voluntatum ,  
quæ virtutum miracula præclaras illas , quas habui-  
stis , conciones fuerint consecuta ? vobis exardesti-  
centibus auditor friget ; vobis petstrepentibus , os-  
citat ; intonantibus , obdormiscit . Quid ita ? quia  
orationi vestræ mores non consentiunt , & quod  
sermone statuitis , actione recusatis .

**SIMILE.** Nempè non sonanti grandine sipientes  
rigantur agri , sed leniter stillante pluvia : non ful-  
minum fragore educantur segetes , sed benigno so-  
lis aspergu : sic , &c .

**EXEMPLUM.** Videte , quo milites ardore irru-  
ant in hostes ; quo furore irrumpant in obsecram  
urbem per everla mænia , quid illos vitæ ac necis  
oblitos per media rapit pericula ? dux egregius ,  
qui sublimis in equo , & exsertum vibrans gladium  
præxit .

- **TESTIMONIUM.** Testis hujus sententiæ locu-  
ples ,

ples & veteris Francisci suffragator idoneus es,  
Francisce Borgia! Gaudiæ dux sanctissime! concio-  
nabatur aliquando vir ille Sanctus in planicie pa-  
tentissima ob incredibilem hominum turbam à cir-  
cumiectis oppidis affluentium, ac licet non posset  
audiri à remotioribus, imò ne intelligi quidem à  
proximis, fluebant tamen ab oculis omnium magno  
cum pietatis sensu lachrymæ, quod virum Sanctum  
concionantem intuerentur.

EPILOGUS. Adeò verum est, nihil à S. Fran-  
cisco fieri potuisse sapientius, & ad persuadendum  
accommodatius, quam cum exemplo modestiae re-  
liquarumque virtutum concionatus, urbem ta-  
citus peragravit, *Candid.*

## EXEMPLUM CHRIÆ MIXTÆ;

*Phocion aurum ab Alexandro M. oblatum respu-  
bat, dicens, finat me Alexander virum  
esse bonum.*

ENCOMIUM. Tametsi lumen illud Antiqui-  
tis clarissimum Phocion immortalem apud po-  
steros memoriam sibi comparavit dictis factisque  
illustribus, quibus Reges potentissimos devinxit  
sibi, atque in admirationem sui pertraxit, nihil ta-  
men meo quidem judicio unquam egit dixitque aut  
ad famam præclarus, aut ad gloriam excellen-  
tius, quam cum oblatas ab Alexandre opes cum  
stomacho rejicit, Miserat Rex ille pauperi Phocio-

ni magnam auri argentique vim, quo illius inopiam levaret : At quid suâ dives egestate Phocion? videbatur sibi omnibus Regibus esse opulentior ; & cur, inquietabat, mihi tantas opes Alexander? quia te solum, reponebat legatus, Athenis virum bonum esse existimat. Cui Phocion, habeat igitur Alexander aurum suum, meque sinat virum bonum esse.

**PARAPHRASIS.** O factum insigne, nulla sa-  
cis laude prædicandum ! ô responsum admirabile ! Non è græcorum Athenæo, sed ex intima Christianorum Philosophia depromptum ! indicare voluit vir sapientiâ singulari prædictus, in magnis divitiis vitam sine vitiis diu agi non posse ; nec permansu-  
rum se diu virum bonum, si fluxis opibus abundan-  
dere cœperit.

**CAUSA.** Neq; id immerito, Nam cum homo suâpte naturâ insolens sit, & ad quævis illicita sat superque propensus ; si res secundæ accesserint & mentem inflârint, si opulentia propensioni malæ vires addiderit, & ad omnem licentiam, ut fieri solet, exstimulaverit ; quid aliud ab homine exspe-  
stari poterit, quæm quod à virtute deficiat, & ruat in quævis scelera ? lustrate, si lubet, quorundam opulentorum domos, Deus immortalis ! quantus ibi passim luxus ! quanta dissolutio morum ! quæm nullus in omni abundantia modus ! quanta in actio-  
nibus levitas ! in vestibus jactantia ! in sermone fastus ! in conviviis profusio ac licentia ! hæc au-  
dem mala omnia ex uno fonte, nimicum ex nimia opum copia, profluxerunt,

CON-

**CONTRARIUM.** Nihil ejusmodi in pauperum casis reperies; non illic superbia, non luxus, non mollities, non pompa, non jactantia, nec alia, quæ ab opibus nasci solent, vitiorum monstra cernuntur: emori enim vitia ibi necesse est, ubi pabulum deest, unde alantur.

**SIMILE,** Fit scilicet in homine, quod in equis, qui quo liberalius pascuntur, eò magis insolentur, ut etiam calcibus ac morsibus impetant Dominum suum. Tolle iis pabulum, & ferociam sustulisti. Sic hominem opibus insolentem facile compesces, ac virtuti restitues, si fomenta vitiorum ab eo absuleris.

**EXEMPLUM.** Prodigus ille Evangelicus exemplo suo hanc veritatem nobis testatissimam fecit, quamdiu enim nummis tuis gebant loculi, nulla aberat à sensibus illecebra, nulla à corpore libido, nullum flagitium à turpissimis moribus. Resipuit tamen, at quo tempore? cum decoctum esset patrimonium, cum fames & extrema inopia eum meliora docuissent. Tum demum homo frugi factus est, atque ad Patrem supplex rediit.

**TESTIMONIUM,** Illud ipsum indicare voluit S. Chrysostomus, cum diceret: *Divitiarum sequela est luxuria, intemperans ira, arrogans superbia, omnisque motus irrationalis*

**EPILOGUS,** Sapientissime igitur fecisti, distique Phocion! cum Alexandro aurum remisisti,

atque ut te virum bonum esse saceret, petiisti. Dum hominum genus erit, quod dixisti, aeternis laudibus celebrabitur: quod autem fecisti, omnes gentes semper obstupecent, atque ipsa aeternitas admirabitur.

## EXEMPLUM ALIUD CHRIÆ MIXTÆ.

*Diogenes accensâ lucernâ in frequentissimo foro  
hominem querit.*

*Encomium.* Quid cum lucerna tua queris, Diogenes, lepidissime bipedum? Quid investigas Doliatis Philosophus, sapientissime Nugator, illustrissime Morio? quid indagas, Mendicorum nobilissime, cum accepta illa lucerna, ipsa meridiei luce, medio in foro frequentissimæ civitatis? Age responde Tenebrio clarissime, quid investigas? Audite, quid respondeat joculare caput: Hominem quero, inquit, Hominem queris? Tu tot inter homines inquiris hominem? Amplissimo in foro, innumerabili hominum ultrè citroque commeantium multitudine celeberrimo hominem conqueris, Quid? oculisne anima mente orbatus es? Quos intueris, umbrasne reris esse, non homines? Quos incursas, humerisque propellis obvios, non homines credis? qui te salutant, tēque percunctantur, quid queras, hos non homines esse putas?

*Paraphrasis.* Non putat. Ita est profecto, eos non homines esse putat, in quos incurrit; idcirco cla-

clarissimo metidie forum, vicos, domosque lu-  
strat accensâ face, intérq; homines quærit ab homi-  
nibus hominem; non cuiusmodi obvios se nobis  
ubique dant; non quales quotidie cernimus, vanos,  
vecordes, improvidos, inconsultos, vitiis deditos;  
sed prudentem, sed cordatum, sed temperantem;  
addictumque virtutis studio quærit ac sapientem.  
Quid enim autumas, tu qui Philosophi hujus tridi-  
culi consilium explodis, & responsumrides? quem  
amabo, hominem esse judicas? quem hoc illustri  
nomine dignum arbitraris? Eumne, qui felicita-  
tem turpissimis in rebus sitam existimans, nihil sibi  
expetendum putat, nisi quod corporeos sensus in-  
ani & obscenâ delectatione permuleat? qui nihil  
cogitans de honestate vitæ & officio rationis eò  
fertur amens, quò voluptas illicet, quò libido ra-  
pit, quò cupiditas incitat? Eum tu hominem ap-  
pelles, qui curas omnes suas ac cogitationes refert  
atque consumit in coacervandis per fas & nefas  
opibus, auróque cumulandis arcis, ac proferen-  
dis latifundiorum limitibus? Hominem nominare  
audeas, qui in id unum incumbit, ut omnes um-  
bras falso gloriæ insectetur, ut luxu diffluat, otio  
torpeat, epulis indulgeat, gulæ abdominalique ser-  
viat, in omni voluptatum genere se se volvet & im-  
merget? Egregiam verò speciem dignitatēmque  
Hominis, quem summus omnium Opifex Deus  
proposuit terrarum orbi, cuius imperio subjicit  
omnia, cuius causâ universam condidit mundi mo-  
lem; Ille, ille Homo dicendus est, qui magnitu-  
dine consilii, tolerantiâ rerum humanarum, vir-  
tutib; que omnibus, ut mænibus, septus spernit v-  
lupta-

Jupates, refrænat libidines, coercet avaritiam ; improbissimis dominis, dedecori ac turpitudini non paret. Ille homo est, quem effrænatus non impellit amor, non abducit odium, non extollit audacia, iracundia non accendit, lætitia non effert, voluptas & timor non frangit ; qui nec molestia tabescit, nec mœrore conficitur, nec futili gestiens alacritate deliquescit. Hic ille homo est, quem Diogenes olim quæritabat, quemque ut facilius inveniret, lucernam accenderat.

**CAUSA.** Hujus enim generis homo non est cuiusvis obvius : eo more qui vivat, perrarus est ; accendenda idcirco tibi est judicii lucerna, lampas mentis, non corporis solum aperienda lumina, eum ut discernas ab aliis : Extremam quippe oris humani speciem omnes præ se ferunt, at cupiditatis immoderatae plusquam Circæo poculo, in varias mutant belluas : Vulpium induunt alii fraudulentam indolem, luporum alii voracitatem imitantur, Alii equorum libidinem, tygrium rabiem, tumorem leonis, serpentum virus, asellorum stoliditatem ac desidiam, levitatemque volucrum, pisciumque stupiditatem ferinis moribus adæquant ac sæpè vincunt.

Tales si tu homines indagas, lucernam haud opus erit accedere, nec obire forâ compitâque : ubique tibi obviam contrâ venient ; hujusmodi sinè labore invenies infinitos vel occlusis luminibus. At si verum inquiris hominem, si optas reperire sapientem, sume lucernam, accende

cende lampadem, tēque Diogeni comitem ad-  
junge, omnēsque perlustra plateas, percurre vi-  
cos omnes & domos, rimare viarum flexus, angu-  
portus & aditus.

SIMILE. Mulieris instar, amissam quæritantis  
gemma, quam habet unica: Quos enim illa  
non evertit domūs angulos? quas non accedit fa-  
ces? quos non perscrutatur recessus? neque enim  
contenta meridianō lumine, ipso in sole lucernam  
admovet, lapillūmque unum innumerabiles inter  
lapillos, unionēmque unum omnibus investigat  
locis, incredibili diligentia, solicitudinēque sin-  
gulari.

EXEMPLUM. Longè tamen Tu majori dili-  
gentia, Deus Optime, Maxime! scrutatus es non ci-  
vatem unam tantum *Hierosolymam in lucernis*,  
sed quinque urbes illas, non flagitiis minus famo-  
sas, quām claras incendio, quo deflagrārunt, unūm-  
que ut invenires in iis hominem, non laternam mo-  
dō unam, non solarem tantum adhibuisti lampa-  
dem, astrorūmque omnium lucem; sed ipso eti-  
am inflammāsti cum urbibus universos incolas, &  
unum tandem, quem quærebas Lothum, tot inter  
horribiles hominum larvas vix hominem nactus, ab  
illorum turpissimo avulsum complexu abstraxisti.

TESTIMONIUM. Laternam tu etiam Regum  
sapientissime, eundem in finem, credo, succende-  
ras, cùm perlustratis animo celeberrimis terræ pla-  
gis, oppidisque frequentissimis exclamāsti denique:  
Mil-

Millenis de virtutis unum tandem aliquando te repe-  
rississe; mulierem verò ne invenisse quidem unam ex  
omnibus.

EPILOGUS. Ite jam, & Laternarium irridete  
Diogenem, quod in confertissima hominum tur-  
ba hominem querat. Sanè laterna illa sua, si minus,  
quod investigabat, invenit, non mediocrem certe  
sapientiae laudem reperit, maximamque sui judi-  
cii lucem Laternæ tuæ luce patefecit. *Pom.*

F I N I S  
P R O  
Q U A R T A C L A S S E.

